APOGRAPHUM MONVMENTORVM HAIDELBERGENSIVM.

ACCESSIT MANTISSA NEO-BURGICORUM AD NICRUM, & aliorum.

ITEM ORATIO IN FUNERE MARSILII AB INGHEN, PRIMI RECTORIS ACAD. Haidelberg. Anno 1396. habita.

Pſalm. 112.

In memoria ſempiterna erit juſtus.

Syrac. 46.

Oſſa eorum in locis ſuis reviveſcant: & nomen eorum quaſi permutatione renovetur in filiis eorum, qui gloriam adepti ſunt.

ANNO cIↄ Iↄc XII.

HAIDELBERGÆ,
In Officina ANDREÆ CAMBIERII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ILLUSTRISSIMO ET NOBILISSIMO
GERMANICÆ IUVENTUTIS
PRINCIPI
D.
LUDOVICO PHILIPPO,
COM. PALAT. RENI
BOIARIÆ DUCI:
SERENISSIMI PRINCIPIS
ET DOMINI, D.
FRIDERICI IV.
ELECTOR. PALAT.
PATRIS, SED HEU OLIM!
PATRIÆ
FILIO GENEROSISS.
DOMINO SUO,
HOC
MONUMENTORUM
HAIDELBERGENSIUM
APOGRAPHUM,
VITAM
ET
FELICITATEM
P.
L. M. Q. D.

PHILOSOPHIAM mortis eſſe meditationem, Princeps Illuſtriſs. ſapientum quidam perhibuit. Multò verius Chriſtiani hominis vitam dixerim eſſe, adeoque eſſe debere, aſſiduam & ſeriam mortis, pie aliquando obeundæ, conſiderationem. Quæ enim Ethnicis tribui ſalutaris ex hac vitâ exitus meditatio poteſt; qui, vel vitam, poſt hanc, nullam; vel Utopicæ felicitatis ſimilem, ſciverunt? Chriſtiani novimus, idque divino cœleſtium literarum beneficio, non quod experientia quotidiana loquitur, humana hæc fluxa & caduca eſſe omnia; ſed quâ viâ, ſummo Imperatore DEO de vitæ huius ſtatione vocante, ad æternam abeundum ſit beatitatem. Ad hanc ἀθανασίας curam excitandam & alendam facere videntur & ſepulcrorum epigraphæ: quarum præcipuas aliquot, quæ Haidelbergæ viſuntur, collegi. Eas, niſi Tuo, Princeps Illuſtriſs. nomini inſcribere nulli nec volui, nec debui. Tuorum enim ſunt, quæ hîc leguntur monumenta, majorum Regum, Electorum, principum; tuorum ſunt civium; ab illis genus & nomen ducis, nunquam intermoriturum: horum pleriſque Palatinus uſus quondam eſt, cum ipſi eſſent, aut in Politiâ, aut in ſacris & re literariâ cum fructu. Probabis, itaque, ſpero, Princeps illuſtriſs. conſilium: atque ociolum

tuum.

tuum, ſi videbitur, his perſpectandis interdum falles. Perlegendis enim iſtis in memoriam redibis non modò mortalitatis, omni & ætati & ordini communis, ſed meritorum quoque, & rerum à majoribus tuis domi militiæque præclare geſtarum: quod & pietatis incentivum & virtutis calcar fuerit, gloriæque avitæ in familia tua Illuſtriſs. adſerendæ. Utriusque luculenta edis indicia; & vinces, ita adſpirante Deo, quod precamur, expectationem. Bene vale, Princeps Illuſtriſs. & bono Reip. creſce. Haidelb. prid. cal. Septemb. 1612.

T. Celſitud.
devotiſs.

MELCHIOR ADAMUS.

Lectori benevolo

S.

IN eâ, Lector & ſpectator, cum omnibus, opinamur, cordatis, ſemper fuimus ſententiâ; ut ſtatuerimus, tū ſepulcrorum tum monumentorum, Epitaphiorum rationem habendam non poſtremā. Sepulcra equidem ipſa & ſepulturam, apud omnes gentes, ſaltem non plus quàm belluinâ immanitate barbaras, in uſu & honore: in populo verò Iſraelitico etiam in divini beneficii loco ſcimus fuiſſe. Inde in ſacrarum literarum hiſtoriis promiſſiones leguntur iſtæ, ſanctis Patriarchis ac regibus repetitæ: abituros ipſos ad patres, ad populum ſuum cum pace: ſepultum iri in canicie bonâ: recollectum iri ad patres ſuos, & in ſepulcra ſua cum pace.

Inde antiquiſſima Moſaicæ hiſtoriæ monumenta diligenter indicant ſepulturam Patriarcharum, & quæ Patriarchis conjunctæ fuerunt, ſanctiſſ. matronarum. Inde ducum, judicum, regumque Iſraëliticorum in eadem ſacrâ hiſtoriâ perhibentur ſepulcra.

Con-

Contrà verò non inferri ſepulcro, ac inhumatū abiici: id in ſacris iræ divinæ argumentum & pœnæ habetur. Nam Baeſa & Jezabela, ſepulturæ honorem, divino afflati Spiritu, denegant Prophetæ: & David in Odâ quadam ſacrâ, Saulum gladio periturum: cōplices vulpibus feriſq; morticinas vorantibus, prædam fore prædicit: Jeremias itidem tum aliâs ἀταφίαν inter divinæ vindictæ genera recēſet, tum nominatim Iehojakino regi comminatur, ſepulturâ aſini ſepeliendum ipſum eſſe.

Etiamſi enim nec ſaluti mortuorum quicquam derogat, nec cadaveribus dolorem aut cruciatum ullum infert, ſi ludibrio, ſi beſtiis ac volucribus exponantur: tamen & ipſis illis viventibus non potuit nō accidiſſe acerbiſſimum, cùm audierunt divinâ edicente juſticiâ; carni ſuæ, propter admiſſa peccata, honorem communem habitum non iri: & qui ſanguinis aliquâ cognatione illos, talem in modum punitos, attigerunt, quis dubitet, quin caſum illorum, graviſſimè tulerint, & probro aliis exemploq; fuerint?

Extra populum DEI inter gentiles pleroſq; omnes viguit mos ſepeliendi: nec diverſum, niſi apud eos, qui humanitatem omnem exuiſſent, frequentatem comperimus. Declarat hoc, quod apud principes tam Græcæ, quam Latinæ linguæ poëtas videmus, à

prælio commiſſo, eos, qui occubuiſſent, ultro citroq; ad ſepulturam fuiſſe remiſſos. Declarat & iſtud, quod in hiſtoriarum monumentis legimus, præclarè de Republ. ſive in togâ, ſive in ſago, meritos, publico funere & ſolenni pompâ elatos: Caligulas contrà tumultuario rogo ſemiambuſtos levi ceſpite obrutos: Vitellios ad Gemonias conſectos, inq; Tyberim unco tractos: conſceleratosq; alios, lege jubente, culeo inſutos, in publico abjectos, omni ſepulcri honore privatos. Hinc Thyeſtes apud veterem poëtam, autore Tullio Atrei facinus execrans, etiam hoc addit:

Neque ſepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis;
Ubi remiſſa humana vita, corpus requieſcat à malis.

Et ſi enim, ut graviter alicubi Auguſtinus, omnia iſta, curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt vivorum ſolatia, quàm ſubſidia mortuorum: non tamen ideò contemnenda & abjicienda ſunt corpora defunctorum; maximeque juſtorum atq; fidelium; quibus tanquam organis ac vaſis ad omnia bona opera ſanctus uſus eſt Spiritus. Nã ſi annulos, ſi veſtes, aut tale quid ex cimeliis maiorũ parentum, & amicorum relictũ, in deliciis habemus, diligenterque adſervamus: quantò accuratiùs & ſtudioſiùs ipſa illa membra curabimus: quorum

miniſterio animus, dum inhabitabat, illa tot præclara, tot nobis & poſteritati omni fructuoſa patravit?

Non dicam hîc, quod hoc pietatis officio Chriſtiani fidem, ut quem modò nominavi, Hipponienſis Epiſcopus loquitur, reſurrectionis adſtruimus. Illud enim, quod tam diligenter in cœmiteriis terræ mandamus, quod tam honorificè in monumentis deponimus, non nobis ſolùm, ſed ipſi DEO, *curæ eſſe facto iſto indicamus; & profitemur eam, quam ſepulcro credimus carnem,* non *eſſe, ut in exequiis defunctorum pia antiquitas cecinit*, rem mortuam, *ſed* datam ſomno; *& in die* ἀποκαταστάσεως πάντων

Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus ſopor urget.

Honeſtatis igitur & pietatis cauſa, tàm gentiles, quàm veræ Eccleſiæ cives ſepulcra habuerunt familiaria & hereditaria. Ex ſacris enim accepimus Patriarchas monumenta ſua habuiſſe in terrâ promiſſâ: Reges Judæ in civitate Davidis; reges Iſraëlis Samariæ. Et hodiernâ die regum Galliæ mauſoléa ad Dionyſium viſuntur: Angliæ ad Londinum: Polonorum Cracoviæ; Danorum Rotſchildæ, & Barsholmiæ: Elector. Palatinorum Haidelbergæ; Saxonum Friburgi ac Miſenæ; Brandeburgicorum Berlini. Quemadmodum autem conſuetudo ſepe-

liendi corpora defunctorum fuit: ita & antiquiſsimo more monumenta epitaphia atque inſcriptiones, in quibus & nomen defuncti, & res geſtæ; adjungere ſepulcris eſt ſervatum. Narrat enim ſacra hiſtoria; qua antiquior eſt nulla, Rachelem demortuam à marito Jacobo honorificè ſepultam, & ſupra ejus ſepulcrum ſtatuam memoriæ ergò excitatam: quæ à Moſis ad Saulis usque memoriam ſtetit. Deinde parens hiſtoriæ profanæ Herodotus meminit aliquot ſepulcrorum & monumentorum: & inter ea, tum Semiramidis reginæ Aſſyriorum clariſsimæ, tum Alyattis, Crœſi, regum opulentiſsimi, patris. Plutarchus verò Cyri, illius qui Crœſum vicit, titulum ſepulcralem narrat. Athenis quoque proditum memoriæ eſt, extra urbem ſepulturæ locum fuiſſe; ubi columnæ exſtiterint, in quibus defunctorum, inibi conditorum, nomina continebantur. Similem locum Syracuſis fuiſſe, colligas ex Archimedis ſepulcro, à M. Cicerone, inter dumeta & vepreta eruto: in quo epigramma verſibus ſenariis & ſphæra cum cylindro. Gentilitia fuiſſe & Romæ ſepulcra cum epigraphis, autoritas graviſsimorum virorum & αὐτοψία hodie teſtatur.

Permanſit inſtitutum hoc memoriam conſecrandi defunctorū etiam apud Chriſtianos in primitivâ

Eccleſia. Nam in Urbe de ſuo tempore ſcribit Prudentius:

Plurima litterulis ſignata ſepulcra leguntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

Quamobrem verò vel Plato Athenis epitaphia ſepulcris conceſſerit, vel Solon pœnam ſtatuerit in eum, qui tumbā ac monumētū violaſſet, dejeciſſet, fregiſſet: vel Chriſtianis idem viſum faciendū fuerit: cauſa non fuit nulla. Principio enim monumenta, ut Varro verè, ideò in ſepulcris & ſecundum viam, quò prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Induxit ad hanc ἀδηλότητος καὶ μεταβολῆς *humanæ ſeriam cogitationem Alexandrum Magnum, ſepulcri Cyri, quem modò attigi, inſpectio & tituli; qui ita habuit:*

Ω ΑΝΘΡΩΠΕ, ΟΣΤΙΣ ΕΙ, ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΗΚΕΙΣ [ΟΤΙ ΓΑΡ ΜΕΝ ΗΞΕΙΣ ΟΙΔΑ] ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ, Ο ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ, ΜΗ ΟΥΝ ΤΗΣ ΟΛΙΓΗΣ ΤΑΥΤΗΣ ΓΗΣ ΦΘΟΝΗΣΗΣ, Η ΤΟΥΜΟΝ ΣΩΜΑ ΠΕΡΙΚΑΛΥΠΤΕΙ.

Quis non moveatur monumento Sanacharibi Aſſyrij, Hieroſolymæ oppugnatoris, & JEHOVAE, *contemtoris impiiſsimi? cui à filiis duobus in fano inter ſacra immania trucidato, epigraphe addita talis fuit?*

ΕΣ ΕΜΕ ΤΙΣ ΟΡΕΩΝ ΕΥΣΕΒΗΣ ΕΣΤΩ.

Sicut autem tumuli & tumulorum inſcriptiones neceßitatis moriendi viventibus refricant memoriam: ita & ancipitis variæque, omni & loco & tempore obviæ mortis exempla nobis proponunt. Hũc enim legas in vitam vix ingreſſum; ilico ex eâdem digreſſum: illum medio è curſu abreptum: alium exactâ jam ætate diſceßiſſe: alium morte naturali, alium violentâ, alium repentinâ vitæ finem feciſſe. Quæ mortis genera ſi Chriſtiana mens, ut debet, apud ſe perpenderit: an non hemerobion nos eſſe genus deprehendet? an non Homericum illud:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δέ καὶ ἀνδρῶν:

aut potius ex divinarum literarum myrothecio recordabitur & repetet illud: Homo vanitati ſimilis: dies ejus, quaſi umbra præteriens? *Et verò cùm cuivis accidere poßit, quod cuiquam accidit; cùm uſquequaq; mors præſtò ſit, & nebulæ inſtar dies noſtri ac* σχῆμα κόσμου *evaneſcant; quis in vitâ emendandâ non ſit diligentior, in caſibus cavendis circumſpectior, in morte quocunq; die loco ve ex DEI voluntate obeundâ paratior? Faciunt præterea monumenta, ut magnorum Virorum & de Rep. optimè meritorum, non iisdem finibus nomen, quibus vita, terminetur. Pleræque enim epigraphæ non nomen ſolùm*

defuncti & diem emortualem; ſed vitæ etiam curriculum circumſcriptè & res præclarè domi foriſq́ patratas pervulgant. Id quod & ad honorificam, qui vixerunt, memoriã facit, & ad exemplum ſuperſtitum. Qui enim in templis in ſacris locis publicè ad alios virtutem videt commendari: is ficulnus ac prorſus ἀφιλόκαλος ſit, ni eandem ad laudem & gloriam inſiſtat viam.

Prætereo hîc, quod in diſceptationibus quandoque Chronologicis monumentorum fides ſubveniri poteſt, & ſcrupulos eximere. Quam jucundum ſit aut ſaltem gratũ, (ut extremo hoc loco adjiciam) monumentorum intuitu ejusmodi oculos paſcere, & in unâ συνόψει plurima contemplari: id verò tu ipſe, quisquis es φιλοθέωρος, ſpero, experieris: aut expertus jam, in aliis, mihi accedis. Multa enim ſunt quæ aliquid gratiæ, multa quæ aliquid ſolertiæ, multa quæ pietatis aliquid ſpirant & repræſentant.

His cauſis adducti communicamus tecũ, Chriſtiane lector, apographũ iſtud monumentorũ ἀξιοθεάτων, ut arbitramur, & ἀξιομνημονεύτων maximam partẽ: quæ in Palatinatus Electoralis metropoli, celebri & gratâ Septemvirorum Palatinorum ac piarum Muſarum ſede, hodiernâ die viſuntur. Addidimus & vernacula quædam; tum ob defunctorum, quibus poſita, claritatem & virtutem: tum quod eorum alia bre-

vitas, alia rhythmorum concinnitas & pietas commendaret.

DEUS, in quo ſumus, vivimus, & movemur, faciat: ut hoc; quicquid eſt opellæ, ſit pietati exuſcitandæ, precum fervori augendo, vitæ piè & integrè agendæ: donec peregrinationis terrenæ curriculo confecto, placidè in Chriſti Jeſu invocatione conniventes obdormiſcamus, felicique ἀναλύσει *ſpiritibus noſtris in cœleſtem patriam remigremus, iisque tandem in glorioſâ illâ* ἀναψύξεως *luce corporibus priſtinis, potentiâ Redemtoris unitis, amarantinam gloriæ & juſtitiæ coronam cum omnibus electis reportemus.*

Ita mihi vale & ſalve, mi lector.

Haidelb. cal. Septemb.

1612.

J. HEN-

I. HENRICI EXTERI
EPIGRAMMA
IN
APOGRAPHUM
MONUMENTORUM
HAIDELBERGENSIUM.

SArcophagûm titulos inſcriptaq́; nomina cippis,
Atq; leves cineres, frigidaq; oſſa moves!
Ecquid, ADAME, *facis? leſſumne iterare, noviſq́;*
Luctibus & lacrymis corda replere juvat?
Siccine feralem pompam juvat inſtaurare,
Iam pridemq; ſitis triſtiter inferias?
Iſaidæ Herodes loculos ſcrutatus & urnas,
Heu mihi quas pœnas impietatis habet!
Flamma adytis elapſa, duos regiſq́; miniſtros
Ignibus implicuitq; in cineresq; dedit.
Scilicet haud ulli fas eſt temerare licenter
Majorum tumbas relliquiasq́; ſacras.
Aſt tibi mens alia eſt: qui lecta epicedia vulgans,
Quæ functos maneat ſors meliore loco;
Quæq; alibi, monſtras, ſint ſerta repoſta beatis,
Quos hic aut illic fida ſequeſtrat humus.
Rectè iſtud curas, mortem rectè ingeris illis,
Quos nil quotidie mors furibunda movet.
Felices animæ Vos, in ſupera illa receptæ,
Securè mundi hæc omnia deſpicitis.
Salvete ô animæ longumque valete beatæ:
Sunt inſcripta alio nomina veſtra libro.

Errata ſic corrigantur.

In præfat.4.p. frequentatem lege frequentatum
Ibid. p. Jehojakino l. Jehojakimo,

Pag.3. linea ultima pro Pſal.117. lege 118.
4 l.9.pro ſeinem lege ſeine.
7. l. 15. pro C. l. CCCCC.
27. l.ultima dele τὸ D.
29. l.antepenult. pro Brůdern l. Rindern
31. l 6. pro poſitus l. poſtus.
34. l. 16. pro nat. l. cùm vixiſſet: ubi addendum & hoc:

VIR DOCTUS EGREGIE ET PIUS
VIR AMABILI
FRIDRICUS INGENIO VVIDE-
BRAMUS, BONAM
DOCENDO QUI NAVAVIT OPE-
RAM ECCLESIIS
DIU, ET SCHOLIS; DEFENSAQ.
TULIT CARCEREM,
OB VERA, ET EXILIUM; HIC
QUIESCIT A MALIS.
H. W.

54. l. 1. tollatur unum C. & l. M. CCC. XC VI.
55. l.20.pro Juri l. Jure
56. l.5.pro aſſeſore l. aſſeſſore.
60. l.1.& 2.ordinentur ut verſus Glycon.
100. l. 4. pro amoſis l.amoris.
132. l.11.pro char.l.clar.
Ibid pro invidia l. invida.

Cic.9.Philipp.

Vita mortuorum in memoriâ vivorum eſt poſita.

AD SPIRITUS SANCTI MONVMENTA.

In Chori teſtudine inſcriptum.

RUPERTUS ROMANORUM REX HUIUS CHORI ET COLLEGII FUNDATOR.

ELIZABETH REGINA ROMANORVM.

LUDOVICUS COMES PALATINVS REGIS FILIVS, HVIVS COLLEGII CONSVMMATOR.

DOMINA PLANCHIA FILIA REGIS ANGLIÆ VXOR EIVS.

MONUMENTA ELECT. ET PRINCIP. IN CHORO.

Chriſtus iſt mein leben/ vnd ſterben iſt mein gewin.
Philip. 1. Cap.

VOn Gott aller tugendt/
Begabt von jhr Jugendt
Allzeit trew in eren/
Gegn jhrem liben herren/
Mehr nichts denn Chriſtum acht/
All Weltlich frewd vnd bracht/
Sanft/ruhig/vnd in fridt/
Des himmelß erbe mitt/
Den leib heldt woll die Erdt/
Die liebe ſele werdt/
Inß Erdreich verſchart wûrt/
Hernach gantz woll gezirt/
Alſo jhr fleiſch vnd bein/
Sauber bekleidt vndt rein/
Vnd höchſter eren vol/
Die fromme Fürſtin woll/
Ein außbund frewlichs bildt/
Ware den armen mildt/
Die löblich Fürſtin werdt/
Verſchmecht uff dyſer erdt/
In Chriſti Jeſu handt/
Willig den Geiſt vffſandt/
Aber in Ewigkeitt/
Lebet in won vnd freudt/
Ein kleines ſam körnlein/
Bringt vill der früchte ſein/
Würd an dem Jüngſten tag/
Aufferſtehen ohn klag.

ANNO DNI M.D.LXVII. DĒ LETSTEN OCTOB. VERSCHIDT IN GOT DIE DVRCHLEVCHTIGST HOCHGEBORN FVRSTIN VND FRAV MARIA PFALTZGREVIN BEY RHEINN HERTZOGIN IN BAYERN/ PFALTZGRAFF FRIDERICHS DES III. CHVRFVRSTEN EHEGEMAHEL GEBORNE MARG-GREVIN ZV BRANDENBVRG &c ALS SIE MIT IHREM HERN: XXX. IHAR IIII. MONAT. VND XXVIII. TAG. LOB-LICH ZVBRACHT VND VI. SöNE VND V. DOCHTER GE-ZEVGET IRES ALTERS XLVIII IHAR VND. XX. TAG ALHIE DER FROLICHEN VFFERSTEHV̄G ERWARTENDE.

Ich werde nicht ſterben ſondern leben/
Vndt deß Hern werck verkundigen. *Pſalm.* C X VII

HERR NACH DEINEM WILLEN.

WArlich warlich/ ich ſage euch/ es kommt die ſtundt vnd iſt ſchon ietzt/ das die todten werden die ſtim des Sons Gottes hören/vnd die ſie hören werden/die werden leben. Dann wie der vatter das leben hat in im ſelber/ alſo hatt er dem ſohn gegeben / das leben zu haben in im ſelber/ vnd hatt jhm macht gegeben auch das gericht zu halten / darum das er des Menſchen Sohn iſt. Verwundert euch das nicht/ denn es kompt die ſtund in welcher alle die in den gräbern ſeind / werden ſeinen ſtim hören/ vnd werden herfür gehen/ die da guts gethan haben zur vfferſtehung des lebens / die aber vbels gethan haben / zur vfferſtehung des gerichts. Johan.5.cap.

Der todt iſt verſchlungen in den ſieg. Todt wo iſt dein ſtachel? Helle wo iſt dein ſieg? Gott aber ſey danck/ der vns den ſieg gibt/ durch vnſern herren Jeſum Chriſtum. 1.Cor.15.

Fridreich Pfaltzgraff der tewer Man/
Von weyland Könzig Ruprechts ſtam/
Vnd von dem hauß Simmern geborn/
Der erſt darauß zur Chur erkorn/
Diß namens in der Chur der drit/
An jetzt alhie begraben ligt/
Er war von gütt vnd tügent reich/
Ließ recht ergehn eim jeden gleich/
Befürdert auch das Vatterlandt/
Vnd thett dem Türcken widerſtandt/
Für Wien / da er mit Heldens mutt
Jagt ab dem Feindt ein fhanen gutt/
Sein landt regirt er miltigklich/
Auff Gott trawht alzeit feſtiglich/
In Gottes furcht ſein leben fürt/
Wie einem ſolchen Herrn gepürt
Sein erſt Gmahl ein Marggrevin war
Von Brandenburg / die jhm gebar
Viel Kinder / als dieſelb verſturb
Er zimlich alt / ein ander wurb
Amelyam Gravin zu Neunar
Bey der er lebet etlich Jar.
Auch letzt bey jhr ſein leben endt/
Befahl ſein ſeel in Gottes hend.

Iſt verſchieden den. 26. Octobris / als man zalt nach Chriſti gepurt 1576. ſeines alters im 62. Jhar.

GERMANIA MERITO LUGET FUNUS ILLUSTRISSIMI DNI LUDOVICI COMITIS PALATINI RHENI, DUCIS BAVARIÆ, SACRI. RO. IMP. ARCHIDAPIFERI. PRINCIPIS ELECTOR. QUI PROPTER MULTAS DISCORDIAS. TUMULTUSQ. PER. SE. SUMMA CUM PRUDENTIA. TUM. SUMPTU. SEDATOS. PACIFICI NOMEN MERUIT. OBIIT 16. DIE MARTII ANRO DNI. 1544. ÆTATIS SUÆ. 66. CUI DEUS MISEREATUR IN ÆTERNUM.

LUDOVICUS COMES PALATINUS FRID. F.S. ROM. IMPERII PRINCEPS ELECTOR, DUX BAVARIÆ PIETATE ET CLEMENTIA INSIGNIS VIXIT ANNOS. XLIV. REI PALATINÆ PRÆFUIT. A. VII. OBIIT HAIDELBERGÆ PIE IN CHRISTO XII. OCTOB. M D. LXXXIII.

Ad latus.

ELISABETHA COMES PALAT. ELECTRIX PHILIPPI LANDGRAVII HESSIÆ FILIA VIXIT ANNOS XLII. RELICTA TERNA PROLE PIE OBIIT HAIDELBERGÆ XIV. MARTII ANNO M D. LXXXII.

CONSTANTER ET SINCERE
JOANNI CASIMIRO
FRID. III. ELECT. F.
COMITI PALATINO AD RHENVM
DVCI BAVARIÆ
PROSEPTEMVIRO

QVI SIBI VIXIT NVNQ. REIPVB. CHRIST. SEMPER. QVAM DOMI MILITIÆQ. STRENVE IUVIT ATQ. ORNAVIT: RELIGIONE ORTHODOXA SCHOLISQ. BONARVM ARTIVM INSTAVRATIS: GALLIA ET BELGICA A GRAVISS. PERICULIS VINDICATA: CURAQ. PERPETUA IN HOC EVIGILAVIT UT CONCORS PATRIA A VI FRAUDEQ. EXTERNA TVTIOR STABILI QVIETE CUM DIGNITATE FRUERETVR: OMNI DENIQ. OFFICIO PRINCIPIS LAUDATISS. CONSTANTER ET SINCERE PERFUNCTUS AUTORITATIS SUÆ ET VIRTUTIS SUMMÆ HUMANITATI CONIUNCTÆ TRISTE DESIDERIUM BONIS RELIQUIT OMNIB.

FRID. IV. ELECT.
PATRVO TVTORIQ. DE SE OPTIME MERITO
P.

OBIT POSTRID. NONAS JANUARI
CIↃ IↃ XCII.

Illuſtriſſo. Principi ac Domino Domino Friderico Secundo Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ Sacri Romani Imperij Archidapifero, Principi Electori etc. Qui obijt Altreæ
Anno M D LVI
XXVI. Februarij.
Ætatis LXXIIII.

Sereniſſimæ Heroinæ Regiaq; ſtirpe ꝓgnatæ, Dominæ Dorotheæ, Comitis. Palatinæ Rheni, Ducis Bavariæ, Regnorum Daniæ, Suetiæ, ac Norvegiæ Principi ac Hæredi etc. Electoris contorali dilectiſſimæ Quæ obijt . . . .

FRIDERICVS TERTIVS, DEI GRATIA, COMES PALATINVS RHENI, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFER AC PRINCEPS ELECTOR, DVX BAVARIÆ, etc. AGNATIS AC CONSANGVINEIS CHARISSIMIS OPTIMEQ. MERITIS, HOC MONVMENTVM GRATITVDINIS ERGO POSVIT
Anno M. D. LXII.

In lapide.

Anno dn̄i M^C XIX auf montag nach dem
Palmtag der da was der XVIII tag Aprilis
iſt verſchiden vnd ligt hie begrabē / die hoch-
geborn Fürſtin fraw Sibilla geborn Pfaltzgravī
bey Rein Hertzogin in Obern vnd nyder Bayrn etc.
die ein egemahel des hochgebornen Fürſten herren
Ludwigs pfaltzgraven bey Rhein Hertzogen in
Bairn des heiligen Romiſchen Reichs Ertztruchſes
Churfurſten in den landen des Rheins Swabē
vnd Frenckiſchē rechtes fürſeher vndt Vicariꝰ ge-
weſen iſt. Der almechtig got wolle Ir ſelen
gemmedig vnd Barmhertzig ſein / Amen.

Ib. in cippo.

. . . . PRINCEPS ELECTOR, BAVARIÆ DVX
CVIVS ANIMA REQVIESCAT,.

ILLUSTRISS. DNS PHILIPPUS, COMES PALATINUS RHENI BAVARIÆ DUX, AC SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFER ET PRINCEPS ELECTOR HIC QUIESCENS, OBIIT DIE XXVIII. MESIS FEBRUARII, ANNO CHRISTI M CCCCC. VIII. CUIUS ANIMA REQUIESCAT IN SANCTA PACE. AMEN

ANNO DOMINI M. CCCC. XLIX. DIE HIPPOLYTI. MRIS. ⊙. ILLUSTRIS. PRINCEPS DNS. LUDOVIC9 IUNIOR. COMES PALATI9. RENI. SACRI. ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFER. PRINCEPS. ELECTOR. BAVARIE. DUX. C9. A. R. IN PACE.

Anno. domini. M. cccc. xxxviii. pridie. Idus. menſis. Maij. obijt. illuſtriſs. principiſsa domina Mecthildis. de Sabaudia. conthoralis. illuſtriſsimi. principis. et domini. Ludovici. Comitis. Palatini. Reni. et. Bavariæ. Ducis. cujus. anima. requieſcat. in. pace. amen.

ROBERTVS BAVARIÆ DVX, COMES RHENI PALATINVS, ROMANORVM REX, IVSTVS, PACIS ET RELIGIONIS AMATOR, DIGNVS DEO VISVS, QVI PRO IVSTITIA PATERETVR, HVIVS SACRÆ ÆDIS ET COLLEGII INSTITVTOR, HIC CVM CASTISSIMA CONIVGE ELIZABETHA, NORICI MONTIS BVRGGRAVIA, QVIESCIT, VITA FVNCTVS, ANNO CHRISTI M CCCC. X. KAL. IVNII XV.

M. D. LXXXVIII.

Iſte Palatinâ prognatus ſtirpe puellus,
Ipſo ſub partu vitam cum funere ſolvit,
In Chriſto dormit, vitâ fruiturq́ beatâ.

I. C. P. R. D. B. C. V. E. S. M. F. D. F. C. M. D. O. M. S.

ALLES fleiſch iſt wie graß/vnd alle herligkeit der Menſchen wie deß graſes blumen / aber des Hern wort bleibt in ewigkeit.

HIE LIGT BEGRABEN HERZOG LUDWIG, DER REICHE SCHWEDEN, GOTHEN, UND WENDEN ERBFÜRST. HERZOG ZU SUDERMANLAND. NERICKE UND WERMELANDT. WELCHER IM IAR 1583. DEN XVII. MARTII ALHIE GEBORN DEN. VII. APRILIS GETAUFT. UND DEN XXVI. MAI. AUS DISEM IAMMERTHAL VERSCHIEDEN IST. UND EINER FROLICHEN AUFFERSTEHUNG ERWARTET.

Pſalm. LXXXIIII.

EIN TAGE IN DEINEN VORHÖFEN IST BESSER, DAN SONST TAUSENT. ICH WILL LIEBER DER THÜR HÜTTEN IN MEINES GOTTES HAUSE. DAN LANG VVONEN IN DER GOTLOSEN HÜTTEN.

Anno Criſti. 1501. 25. Februarij obijt Illuſtris. Princeps domina Margaretha, Dei gratia Comes Palatina Rheni, Inferioris Superiorisq́ue Bavariæ dux, cuius anima in ſancta pace requieſcat.

Freůlin Eliſabeth Pfaltzgräffin bey Rhein Hertzogin in Beiern ꝛc. wardt geboren den XV. Junij, ſtarb den II. Novembris Anno M. D. LXII.

OTHO HENRICUS PAL. COMES RHENI S. ROM. IMP. VII. VIR. DUX UTR. BAVARIÆ. UT LUDOVICI PII ROBERTI CÆS. F. POSTERORUM ULTIMUS. SIC RENATÆ EVANGELICÆ. PURITATIS. INSTAURATOR PRIMUS VIVUS. SIBI. P. NATUS X. APRIL. M. D. II. OBIIT. XII. FEBR. M. D. LIX.

Sereniſſ. Princ. D. Friderici Elec. Pal. ſoboles præmortua
D. Mauricius Chriſtianus Com. Palatin. dux, Bavar. nat. VIII. Sept. anno M. D C. I. ob. XVIII. Mart. ann. M. D C. V.

D. Anna Leonora. Com. Palat. Duc. Bavar. nata XXV. Decemb. anno M D X C VIII. ob. XXIIII. Maij M. D. C.

D. Ludovicus Wilhelmus com. Palat. Dux Bavariæ nat. XXV. Sept. M. D. C. ob. XXX. Sept. eod.

Extra Chorum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. WOLPHGANGO COMITI PALATINO RHENI DVCI BAVARIÆ ET PHILIPPI ELECTORIS FILIO INTER EOS QVI AD IVSTAM ÆTATEM

PERVENERVNT NATV MINIMO PRINCIPI BONITATE INGENII HONESTA FRVGALITATE AVITISQ. MORIBVS SERVANDIS PRÆSTANTI ET SORTE SVA MEDIOCRI PER OMNEM VITAM CONTENTO.

ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS FRIDERICVS TERTIVS ELECTOR &c. HOC MONVMENTVM CONSANGVINEO CARISSIMO FIERI CVRAVIT.

NATVS EST ANNO M IIIIC.X CIIII. VLTIMO OCTOB. EXEMPTVS REBVS HVMANIS II. APRIL. ANNO M. D. LVIII.

EXSULUM SUSCEPTORI
S.
HULDERICO FUGGERO,
RAYMUNDI F. GEORG. N. IACOBI PRON.
KIRCHBERGÆ ET WEISSENHORNI
DOMINO
QUI IN PAULLI III. PP. CUBICULO
VERITATIS LUMEN EX FAMILIA
PRIMUS ET SOLUS AGNOVIT
VITAMQ. PRIVATAM
AMPLISS. DIGNITATIBUS ANTEFERRE
DIDICIT
DUM VETERUM SCRIPTIS LIBERALI SUMPTU
COMPARANDIS ET EVULGANDIS INTENTUS
A PATRIMONI ADMIN. PROFUSIONIS
PRÆTEXTU DEICITUR
APUD FRIDERICUM III. ELECTOREM PALAT.
FORTUNAM CONSTANTIA ET ÆQUANIM.
SUPERAVIT
SUIS INTEREA RESTITUTUS FRATERNIS
QUINETIAM BONIS AUCTIOR EUNDEM
IN RE LAUTA, QUEM IN AFFLICTA
VULTUM ANIMUMQ. RETINUIT,
ANNUA PAUPERIBUS QUINGENTA LEGAVIT
SEX LITER. STUDIOSIS STIPENDIA
CONSTITUIT
BIBLIOTHECAM PII EXILI UNICAM COMITEM
PALATINATUI MORIENS DONAVIT,
cIↄ Iↄ XXCIV.
OBIIT XVIII. KAL. IULI
ÆTATIS LIIX.
HEREDES ET LEGATARI
GRATÆ MEMORIÆ ERGO
CONSANGUINEO ET HOSPITI B. M.
HOCCE MON. P.

Nobili

Nobili viro, Adamo ab Hoheneck. III. Palat. Elect. & Bipont: Conſiliario benè merito. 27. Martij Anno. 83. ætatis verò. 65. vita piè hic functo, cũ Mar. Magdal. ab Hoheneck conjugem. IIII. anno præcedẽti. 7 Aug: mœſtus præmiſiſſet Ludovicus filius ex eo matrimonio. 24. April: 82. Dei beneficio natus. hoc Mon. collapſum reſtaurari curavit.

Vxori chariſſimæ Margaritæ Regenſpurgiæ prid. Cal. Feb. Anno MDLXXXIIII. pie in Chriſto defunctæ, maritus Gerhardus Paſtorius. J. V. D. Palat. Electoral. procãcellarius mœſtus. P. expectãs & ipſe vocẽ domini: venite benedicti, poſſidete regnum. Matth. 25.

PERPETUÆ MEMORIÆ NICOLAI CISNERI MOSBACENSIS, JURECONSULTI SUA ÆTATE CLARISSIMI, QUI PRIMUM HEIDELBERGÆ MAGNA CUM LAUDE DOCUIT. DEIN SPIRÆ ADSESSOR, TANDEMQUE IN SUPREMO PALATINATUS JUDICIO PROIUDEX CUM OMNIUM ADMIRATIONE JUS DIXIT, HÆREDES GRATI CURANTE. JUSTO REUBERO JURECONSULTO POSUERUNT.

VIXIT ANNOS LIII. M. XI. D. VI.
OBIIT PRID. NON. MART. M. D. LXXXII.
POST ANNAM HARTMANNAM CONIUGEM M. IV. D. XX. ET CUM EA HOC SEPULCRUM SIBI COMMUNE ESSE VOLUIT.

Conſilio pollēs, largus rerum, ore diſertus,
Doctor erat Pallas, hac tumulatus humo.

Du Pallas waſt geſchuckt vnd wert/
Trew/ frum/ gerecht/ vnd hoch gelert/
Aigener nutz dich nye hat genert/
Die Kirch vnd Hochſchul haſt gemert/
Dyn hab vnd gut all dran gekert/
Sie waren beid din woll geert/
O Herr hilf das er ſey gewert/
Vnd im miltiglichen wert beſchert
Din reich/ das er hertzlich begert.

ANNO DOMINI 1512. DIE VERÒ. IA MENSIS JULII θ MAGISTER PALLAS SPANGEL DE NOVA CIVITATE. SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR. HUJUS ECCLESIÆ CANONICUS ET CUSTOS. C. A. R. I. P.

VOLFGANGO LEYST, ADULESCENTI INSIGNI. B. MARIÆ. AD. GRADUS ET DI. IOHAN. MAGUNT, AC. S. BARTHOL. FRANCFORD. CANONICO. UBIQUE CHARO VITA. AN. ÆTATIS XIX. FOELICITER FUNCTO. AGNATI LUCTU CONFECTI. HOC SAX. F. C. MOR. AN. SAL. MDXIIII. XI. KL. MARTIAS.

Anno domini 1481. XII. die Maii. θ. venerabilis. Magiſter. Serwicus. Giſberti. de Amſterdam. ſacræ theo. profeſſ. canonicus huius eccleſiæ. r. i. pace.

Anno domini M. CCCC. LIX. XXII. die Octobris θ. vener. mag. Conrad. Holderſtock ſac. theol. Licentiatus, hic ſepultus, requieſcat in pace. †

Anno D. 1556. prima Martii θ. venerab. Mag. Ioannes. Seicz de Bughe ſacræ. Theo. Baccalau. & huius Eccleſiæ. canonicus. c. a. r. i. p.

Anno domini 1 5 o A. Octobris 15. θ. magiſter Heger de Schwibertingen. ſacræ. theologiæ. Licentiat. cuius anima in pace requieſcat.

Volvere qui legum, Wernhere, volumina noras
Doctor Adam, hic tandem conderis Orte Themar
θ. 7. Septembris. Anno 1537.

Anno 1604. den 28. Octobris ward zu Haidelberg geborn der wollgeborne H. Friderich Grave zu Solms Herr zu Müntzenberg/ Wildenfelß vnd Sonnenwald ꝛc. vnd verſchiede auß dieſem jammerthal/ den 9. Martii Anno 1605. alhier einer frölichen aufferſtehung erwarttend.

Philipps von Gottes genaden/pfaltzgraf bey Rein/Hertzog in nidern und Obern Bairn etc/iſt alhie zu Haidelberg den Sechſten tag Julij Anno 48. begraben worden.

1 5 4 8

Nichts vnverſucht

H. Philips Pfaltzgraf.

COetera qui circum luſtras monumenta viator,
Hæc quoque, non longa eſt, perlege pauca, mora.
Si ducis audita eſt, forſan tibi fama Philippi,
Clara Palatinæ quem tulit aula domus.
Qui modò Pannonicam defendit ab hoſte Viennam,
Et ſolvit trepidos obſidione viros.
Tum, cum Threicij vaſtarent omnia Turcæ,
Et tremerent ſubito Norica regna metu.
Mox etiam implevit magnum virtutibus orbem,
Vtilis hinc armis, vtilis inde togâ.
Illius hac tegitur corpus venerabile terra:
Hic animam, hic vitam reddidit ille DEO.
Quod te ſi Pietas, ſi quid movet inclyta Virtus,
Junctaque cum ſumma nobilitate fides;
Huic opta, vt cineres placida cum pace quieſcant;
Condita nec tellus durior oſſa premat.
Nam pius ad cæli ſublatus Spiritus arces,
Cum Chriſto vivit tempus in omne ſuo.

Diceſſit. IIII. Non. July
Anno Domini M. D. X L V III.

Ætatis ſuæ X L I I I I. cujus P. F. memoriæ dux Otho Hainricus Comes Palatinus frater amantiſſimus M. H. F. C.

Anno Domini M. D. L.

HErtzog Philips pfaltzgraf der frum tewer fůrſt/
Den ſeine tag nach Gott vnd ehren důrſt/
Als er erlangt vnaußlöſchliches lob/
Sonderlich beim Vngerland thet ein prob/
Gegen dem feindt gemainer Chriſtenhait/
Bewieſener hůlff/rat/vnd hertzhafftigkait
In der edlen ſchönen ſtad Wien/da zumal
So vom Tůrcken war belegert vberall:
Hat der ſtoltzen welt růſtung vnd wehren/
Damit wir vnſer leben verzehren/
Vrlaub geben in dieſer jamers zeit/
Vnd gſegnet all fromme Chriſtenheit.
Dann weil er iſt erlöſt vom ewign todt
Durch Jeſum Chriſtum/ſeinen liben Gott
So lebt er jtzt in ſeines Vatters ſchoß/
In guttm gwiſſen alles kumers loß.
Darumb waß gedenckeſt du fůrgeer/
Da ligt adl/tugent/manheit vnd ehr
Gleichwol der menſchlich leib hie begraben/
Aber die ſeel bey Gott hoch erhaben
Kaiſer/König vnd all Potentaten
Kennen diß Philippi löblich thaten.

Anno domini M. CCCC. LXXX. prima die decembris. ō. venerabilis Vir Hugo Zoller de Feltkirch artium magiſter, ac ſacræ paginæ profeſſor. huius oppidi plebanus. c. a. i.

Anno domini 1543. octavâ Octob. obiit, artium & jurium doctor conſultiſſ. Wendelinus Schelling profeſſor publicus Gym. Heidelb. cuius anima in domino req. i. p.

REVERENDO VIRO DN. HENRICO STOLONI à DIERBACH ECCLESIÆ ATQ. SCHOLÆ HAIDELB. CONCIONATORI AC PROFESSORI ORDINARIO CONSTANTISS. ET DOCTISS. QUI VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VI. OBIIT VERO ANNO SALUTIS HUMANÆ M. D. LVII. MENSE SEPTEMBRI DIE XXVIII. ANNA UXOR, JACOBUS, BERNHARDUS, ET CHRISTOPHORUS FILII SUPERSTITES HOC MONUMENTVM POSVERVNT.

Diſtichon continens annum ætatis & obitus ejuſdem.

Bis ſex ut luſtris Stolo jam conjunxerat annos
Bis quatuor lætus cælica regna petit.

Anno Domini 1578. 27. die Maij piè in Chriſto obiit rever. vir. D. Andreas Stolzius Superintendens, cuius anima in domino requieſcat.

Scio quod redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.

Anno Domini M. CCCCC. III. in die ſanctæ Agathæ virginis obiit Eximius vir, magiſter Andreas Pfodt ſacræ theologiæ profeſſor, cuius anima requieſcat in pace.

Anno domini 1509. die Februarij. 20. Θ. Mag. Nicolaus Kroner de Baſilea, ſacræ theologiæ baccal. Canonicus & prædicator huius eccleſiæ, cuius anima requieſcat in pace.

Anno domini 1483. decima April. Θ. honeſta domina Katherina de Sickingen, quondam conthoralis ...... de Schauenburg, cuius a.r.i.p.a.

Den 6. Januarij Anno 1593. in Gott verſchied der Edel/ Streng vnd Feſt Chriſtophl von Gotfart/ der Churfurſtlichen Pfaltz geheimer Rath/ vnd alter Marſchalck/ ein vnd ſiebentzig Jar ſeines alters er war/ dem ſiebenden Churfürſten mit trew dient fürwar.

MEMORIÆ ET HONORI.
Annæ Mariæ filiæ Georgij Guielmi à Sickingen matronæ pietate morumq. modeſtia & gravi comitate præſtantiſſimæ, uxori ſecundæ deſideratiſs. lenta confectæ tabe, & in ipſo flore juventæ ex hac ærumnoſa vitâ à Domino in cœleſtem æternamq. beatitudinem & gaudium, Haidelbergæ, quò valetudinis curandæ cauſa non multò antè erat Neapoli Nemetum transportata die XIV. Julij Anno Chriſti M. D. LXXXVI. ætatis XXII. conjugij III. placidè evocatæ Philippus wamboldt ab Umſtad illuſtriſſimi principis Joan. Caſimiri Comitis Palatini ad Rhenum ditionis præfectus cum lachrym.
H. M. P. C.

Anno 1579. den 19. decemb. ſtarb in Gott doctor Chriſtoff Prob/ von Altzei der Churf. Pfaltz Cantzler.

Anno 1574. den 17. Maij ſtarb in Gott Fraw Margret Scheirmannin/ Herrn D. Chriſtoff Proben ehliche Haußfraw.

Anno 1575. den 31. Aug. ſtarb in Gott Juliana Judit Probin/ D. Gerhart Paſtorn der Churfürſtl. Pfaltz Cantzlers ehliche Haußfraw/ alhie der frölichen vfferſtehung erwartend.

Als man zalt nach Chriſti geburt M CCCC. XCVI. jar vff den XXIX. dag Januarij verſchid die erſam fraw Katheryn von Venningen/ geborn von Bebenberg. d. Got gnade.

Im jare nach vnſers Herren Jeſu Chriſti geburt/ alß man zalt M. D. LXIII. vff ſontag den XV. Auguſti iſt in Gott ſeliglich verſchiden die ehren vnd tugendſam Margreta Schloerin Jobin Weidenkopfs ehlich hausfraw/ welcher der Allmechtig ein frölich vfferſtehung verleihen wolle.

Hæc ad S. S.

IN TEMPLO FRANCISCANORUM.

FRIDERICUS BAVARIÆ DUX, COMES RHE. PALATINUS, SACRI ROMANI IMPERII ELECTOR, SALUS PATRIÆ, PRÆDONUM FULMEN, TRIS ILLUSTRES HOSTES VICIT, PRINCIPATUM AUXIT, ET PIE VIVIS EXCESSIT, ANNO CHRISTI 1476. PRID. ID. DECEMBRIS. FUIT EIUS VITÆ VIRTUS SOCIA, GLORIA, MORTIS COMES.

ANNO DOMINI M. CCCC. LXXIIII. IPSO DIE GALLI. ☉. VENERABIL. ET NOBIL. DOMINUS FRIDERICUS, ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI FRIDERICI, COMITIS PALAT. RHENI, DUCIS BAVARIÆ, SAC. ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERI, AC PRINCIPIS ELECTORIS, FILIUS LEGITIMUS, ECCLESIARUMQ. WORMATIENSIS ET SPIRENSIS CANONICUS, CUIUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

ANNO DOMINI M. CCC. LXXXII. DIE XXIX. MENSIS MARTII. ☉. GENEROSA DOMINA ELIZABETH, COMITISSA DE NAMEN, NATA DE DOMO FRANCIÆ, UXOR ILLUSTRIS PRINCIPIS, RUPERTI SENIORIS, ELECTORIS IMPERII, COMITIS PALATINI RENI, AC BAVARIÆ DUCIS, AN. R. NAMUR

EPITAPHIUM HERMOLAI BARBARI VENETI, PATRIARCHÆ AQUILEGIENSIS, IN OBITUM RODOLPHI AGRICOLÆ FRISII.

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Friſii ſpemq; decusq; ſoli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania, laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Tollenti anathema.

RODOLPHI AGRICOLÆ PHRYSII
MEMORIÆ POSUIT VIGLIUS
ZUICHEMUS.

OBIIT ANNO M. CCCC. LXXXV.
DIE XXVIII. OCTOBR.
VIXIT ANNOS XLII. MENSES II.

Relinquenti benedictio

Anno domini 1522. am 16. tag deß Hewmonts ſtarb der Ehrnveſt Jörg Schelm von Berge/dem Gott gnedig vnd barmhertzig ſey.

Anno domini 1537. den 2. Novembris iſt geſtorben der Edel vnd Ehrnveſt Wilhelm von Habern / der Pfaltz Marſchalck geweſen/ dem Gott gnedig woll ſein.

Anno domini 1542. vff ſanct Martins abend den 10. tag Novem. iſt verſchiden der Edel vnd Ehrnveſt Ditrich von Schönberg / dieſer zeit der Pfaltz Marſchalck/der ſeel Gott genedig vnd barmhertzig wöll ſein / Amen.

Vff ſant Otilia vnd Lucia ſtarb der Hochgelert vnd Erenveſt Bernhard Würmſſer von Schafftoltzheim/ Doctor in beiden Rechten/ dem Gott genedig ſig. Anno funffzehen hundert zwentzig vnd ein jar. O Maria bitt Gott für vns/ꝛc.

Anno domini 1504 vff ſant Medarts tag ſtarb der Veſt Thomas Roder von Rodek/ dem Gott genedig vnd barmhertzig ſey.

Anno domini 1540. vff Freitag vor dem Pfingſtag ſtarb der Edel vnd Geſtreng Hans Vlrich von Lichtenberg/der ſeel Gott genedig ſey.

Anno 1553. verſchid bruder Bartholomeus Rößler Koch/dem Gott gnad.

IN AVGVSTINIA-NORUM.

ILLUSTRISSIMORUM PRINCIPUM, EQUITUM AURATORUM RUDOLPHI AC LUDOVICI COMITUM PALATINORUM BAVARIÆ DUCUM, AC SACRI ROMANI IMPERII ARCHIDAPIFERORUM ET ELECTORUM, LAMENTABILIA DEPOSITA, ALTARE, QUOD CERNIS, RECONDITA TENET. LUBRICA SORS RARUM FAVOREM BREVITATE GLORIÆ AC VITÆ COMPENSAVIT, ET HUNC TANTUM EX TANTIS FORTUNIS RUDEM ETSI SANCTUM TUMULUM CONCESSIT. QUORUM PRIOR TOTA PATRIA ILLACHRYMANTE ACERBO FUNERE RAPTUS EST, ANNO DOMINI, MILLESIMO, DUCENTESIMO, NONAGESIMO QUARTO, DIE SECUNDA FEBRUARII; ALTER ANNO MILLESIMO TRECENTESIMO, DECIMO NONO, DIE UNDECIMA AUGUSTI.

Nihil invidemus remanentibus,quos mundi huius pugna manet ; nobis quies parta. Et tu,quiſquis hæc legeris, & tibi moriendum eſſe memento.

Hanß von Landebach iſt mein Nam/
Die erſten Bücher truckt ich zu Rom/
Bit vor mein Seel / Gott gibt dir lohn/
Starb 1514. uff Sanct Steffan.

AD D. PETRI.

In Choro.

NOBILISS. ET PRÆSTANTISS. ADOLESCENTI, OTHONI GOGREVIO SCHAVENBURGENSI, CUM OB INGENIUM, DOCTRINAM, PRUDENTIAM, ALIOSQ. EGREGIAS ANIMI DOTES, TUM OB SINGULAREM PIETATEM BONIS, SUAVITATEM ET COMITATEM MORUM, AMICIS OMNIBUS LONGE CARISS. CUM HEIDELBERGÆ FOELICITER IN DOMINO OBDORMIVISSET, HUGO DONELLUS, QUOD SUPREM. AMICITIÆ OFFICIUM HABUIT, AMICVS AMICO MOERENS POSVIT,

OBIIT EX FEBRE CONTINVA, ANNO ÆTATIS SVÆ XXIII. A CHRISTO NATO cIɔ. Iɔ. LXXIII. DIE VII. MARTII.

Optima mors, parcâ quæ venit apta die.
Mors ſpernit altam gloriam, involvit humile
Pariter, & celſum caput; æquatq; ſummis infima.

WENDELINO SPRENGERO, ELECTORIS PALATINI CONSILIARIO, VIRO HONORATISSIMO, ELISABETHÆ ET JOANNI BERNHARDO REVBERIS, MARITO, SOCERO, PATRI NEPOTIPVS FILIISQVE, ANIMVLIS JVCVNDISSIMIS, CATHARINA HECHTIA, JVSTVS REVBERVS, ELISABETHA SPRENGERA VXOR, GENER, FILIA, AVIA, MOESTIQVE PARENTES POSVERVNT

Ille V.A.LXVI. D. XV. obiit III. Kal. Apr. A. cIↄ. Iↄ.LXXXI.
Eliſabetha. V. A. II. M. II. D. VI. ⊖. IIII. Non. Octobr.
A cIↄ Iↄ. LXXX. Hic V. M. X D. X. ⊖. VI. Idus. Decemb.
A. cIↄ. Iↄ. LXXXII.

Tollenti anathema
Linquenti benedictio.

VITO POLANTO. V. NOBILISS. ET CLARISS. J. U. DOCTORI, AC COMITI PALATII LATERANENSIS, ILLUSTRISS. PRINCIP. D. OTH. HENRICI, ET D. FRIDERICI III. PALAT. ELECT. CONSILIARIO PRÆCIPUO, MARITO AC PATRI CARISS. CORDURA BOTZHEMIA, UXOR EIUS, LIBERIQUE SUPERSTITES MOESTISSIMI, HEU MULTIS CUM LACRIMIS. M. H. F. C.

VI. Calend. Februar.
An. Sal.
cIↄ. Iↄ. LXXII.
ætatis autem ſuæ LII.

Hoc tumulo Viti requieſcunt membra Polanti,
Iuriſperiti nobilis,
Qui varias juvenis linguas edoctus & artes
Doctoris ad gradûs iit.
Poſt à conſiliis Henricum juvit Othonem,
Et hunc ſequutum principem
Quorum nominibus varias legatus in oras
Ad Cæſares miſſus fuit.
A Carolo Quinto merito virtutis & artis
Factus Palatinus Comes
In Chriſto placidæ finivit tempora vitæ:
Res dulcis in Chriſto mori.

Joachimus Buchpach Halenſis Saxo &c. Obiit Anno 1576. die 27. Maij. ætat. 26.

HIc ſua depoſuit moriens Buchpachius oſſa;
Cui nato cunas Saxonis Hala dedit.
Leucoris ingenium mirata eſt, Salaq; flavus,
Quà ſua Tyrigetes jugera durus arat.
Cumque Ubios peteret terras cognoſcere & urbes,
Doctorumq; volens ora videre virûm,
Peſtiferâ pulſum lue legum fama Donellus
Traxerat ad ripas, Nicer amœne, tuas.
Nondum hic dimidium Phœbe compleverat orbem;
Cum lapſum è tecto nocte ſilente videt.
Quaſſatus graviter, lacer & crudeliter artus
Triſtia ſedato tormina corde tulit.
Erectusq; fide, qua ſidera norat adiri,
Ad ſuperos, placidâ morte ſolutus, abit.
Occidit ille quidem primo ſub flore juventæ,
Sed non ante diem, qui benè vixit, obit.
Præmia habet pietas, & Chriſto credulus uni,
In Chriſti claudet mollia fata ſinu.

Cyprianus; Hoc eſt robur fidei credere & ſcire quod DEUS à morte liberare poſſit, & in die noviſſimâ nos excitabit ad vitam æternam.

MATTHÆO LANNOIO ANTUERPIANO, VIRO CLARISSIMO, RELIGIONIS ERGÒ EXULI, POST VARIOS LABORES TUM IN ADMINISTRATIONE REIPUB. IN PATRIA, TUM IN PROFESSIONE ETHICES HIC LOCI SUMMA CUM LAUDE EXANTLATOS, HEIDELBERGÆ PLACIDA MORTE, ETSI PRÆTER ÆTATEM EXSTINCTO, FRANCISCA RENIALMIA MOESTISSIMA, CONIUGI AMANTISSIMO, ET TRES EIUS LIBERI SUPERSTITES, PARENTI CARISSIMO, P. P.

Obiit XXII. Februarij M. D. LXXXVI.
annos natus XLV. dies X.

Ethica, jura patres docuit curavit & auxit.
Fans, mandans, ſcribens, in ſchola, in urbe, domi.

ARTE, SORTE, MARTE.
EXERCITVVM DVCTORI
S.
PETRUS BEUTRICHIUS
MONBELGARDENSIS
CUM GENTIS SUÆ HON. TENUITATEM
VIRT. ET ERUD. FAMA
ILLUSTRASSET
PRUD. ET INTEGRITATIS LAUDEM
EX VARIS LEGATIONIB.
RETULISSET
FRANCOR. REGEM LIBERAS VOCES
FERRE AÇ PERFERRE
DOCUISSET
HELVETIUM MILITEM INDUSTRIE
CONSCRIPSISSET
GALLORUM COHORTEM PER
HOSTES INFESTOS BONNAM
PERDUXISSET
APERTIS OCCULTISQ. INIMICORUM
MACHINIS INVICTUS
SUB IPSA NAVARRÆ EXPEDIT.
CONTRA
IMPIÆ CONIURATIONIS TYRANNOS
SUSCEPTÆ INITIA
A TER. MAX. IMP. LECTUS
EMIGRAVIT
CIƆ IƆ XXCVII. Prid. Eid. Febr. Ætat. XLII.
IOANNES CASIMIRVS C. ET ADMIN. PAL.
BAVARIÆ DUX
Conſiliario, legato, tribunoq; meritiſs. P. D.

MARIA.	CHRISTOPHORUS EHEMIUS	SVSANNA
Chriſtophori Wirſungi Patric. Auguſt. filia, nata Auguſtæ Anno Domini M. D. XXXIII. die 30. April. nupſit ibidem Chriſtoph. Ehem Anno LII. die 24. Octob. obiit hic Heidelbergæ Anno LXXI. die 17. April. decem liberis ex marito ſuſceptis, ſeptem ſuperſtitibus.	Natus Auguſtæ Anno Domini M. D. XXVIII. die 24. Mart. mortuus Haidelbergæ Anno M. D. XCII. Cal. Junii ætatis ſuæ LXIIII. cum utroque ſocero, Wirſungo & Kätzero, in medio hoc Choro requieſcit.	Georgii Kätzeri Patric. Auguſt. filia nata Auguſtæ Anno Domini M. D. XLVII. die 1. Junii nupſit Chriſtophoro Ehem Anno LXXI. die 3. Septembr. obiit hic Heidelbergæ XCIIII. die 15. Novembr. undecim liberis ex marito ſuſceptis, octo ſuperſtitibus.

JEHOVÆ S.

NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO.

D. CHRISTOPHORO EHEMIO

PATRIC. AVGVST. JCTO.

Qui in juventutis ſtudiis Philoſophiam cum Juriſprud. deinceps pietatis zelum cum politica dexteritate ita conjunxit, ut per omnes honorum gradus, merito ſuo progreſſus, profeſſor primum Tubingenſis, tum Heidelbergenſis, deinde illuſtriſs. Principi OTHONI HENRICO Electori, à conſiliis: poſtmodum Sereniſſimorum FRIDERICI III. Elect. & poſtea JOANNIS CASIMIRI Comm. Palatt. Cancellarius digniſſimus: tandemq; FRIDERICI IIII. Elect. Conſiliarius intimus, plurimum in divinis humanisq; Reipub. commodarit, tamq; vitam ſuam Principibus, probarit, quàm nomen ſcriptis & bene meritis ad poſteritat. conſecrarit pie placideq; ipſis cal. Junij A. 1592. defunct.

Conjugi, Parenti, ac ſocero dilectiſſimo Vidua liberiq; ex XXI. ſuperſtites XIIII. nec non etiam generi IIII.

FRANC. IAC. ZIGLER, GERHARD. Fus. DDres. GULIELM. Schuman, & ANDREAS Weber, LLti, mœſtiſſimi H. M. F. C.

1. Tim. 4.

Pietas ad omnia utilis, ut quæ promiſſionem habet præſentis ac futuræ vitæ.

CHRISTOPHORUS Natus Aug. 21. Nov. A 53. Obiit

ANNA MARIA Nata Augæ. 21 Ian. A. 56 obiit Spiræ. 25. Ian. A. 88

CONCORDIA Nata Heidelb. 11. April. A. 58. Obiit.

EBERHARDUS Nat Heid. 11. April A 59 Obiit

MARGARETHA Nat Heidelb. 31. Jan. A. 61. Obiit ibid. 2. Febr. A. 61.

SUSANNA Nat. Heid. 9. Febr. A 62 Ob. ibid. 20. April. A. 68.

ANN-ELISABETHA Nat. Nicrogæ. 2 Septem. A. 64. Ob. Heid. 26. Junii. A. 66.

FRIDERICUS Nat. Heidel. 29. Mart A. 56. Ob.

VICTORIA Nat. Heidelb. 30. Nov. A. 67. Ob. ibid 6. Jun. A. 95.

PATIENTIA. Nat. Heidelb. 27 Mart. A. 71. Ob.

GEORGIUS Nat. Heidelb. 13. Jul. A. 72. Ob.

ELISABETHA Nat. Heidelb. 2. Mart. A 74. Ob.

DOROTHEA Nat. Heidelb. 13. Sept. A 75 Ob.

MARIA Nat Heidelb. 9. Ianuar. A. 77. Ob.

PHILIPPUS Nat Neoſtad. 11. Febr. A. 80 Ob.

CASIMIRUS Nat. Neoſtad. 11. Febr. A. 80 Ob. ibid. 15. April. A. 80.

IOAN. ELISABETHA. Nat. Neoſtad. 24. Iun. A. 81. Ob.

SUSANNA Nat. Lutræ. 7. Sept. A 83. Ob. ibid. 10. Ian. A. 84.

IOAN. FABIANUS Nat. Heid. 29. Dec A. 84. Ob.

MARCUS Nat. Heid. 9. Sept. A. 86. Ob.

Ultima ſine nomine nata Heidelbergæ 19. Maii. A. 90. obiit ſtatim

Anno M. D. XCII. den 1. Junij ſtarb der Edle/ Ehrnveſt/ vnd Hochgelert Chriſtoff Ehem D. der Chur. vnd Fürſtl. Pfaltz geweſener Cantzler vnd geheime Rhat. So alhie neben ſeinen beyden Schwähern/

CHRISTOPH. VVIRSUNG.

GEORG. KATZERN.

vnd ſeiner vorigen Haußfrawen

MARIA VVIRSUNGIN.

auch dero Brüdern ſeligen / begraben ligt.

Chriſtophorus tumulo huic ſua credit Ehemius oſſa:
Spiritus aſtra petit; nomen in orbe manet.

EPITAPHIVM GEORGII SOHN, THEOLOGIÆ DOCTORIS AC PROFESSORIS IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI, ET IN ELECTORALI PALATINATU CONSILIARII ECCLESIASTICI.

GEorgius cubat ſepulcro hoc Sohnius,
Vir doctus, integer, modeſtus, & pius,
Conſtanſque veritatis aſſertor, ſcholis
In inclytis, Marpurgianâ & altera
Noſtra hac, Deo Muſiſq; grata. liberûm
Senum pater, tum naſcituri poſthumi.
Quanto dolore conjugis mœſtiſſimæ,
Lapis ſit iſte poſitus, illa noverit,
Partum ante quæ parē maritum amiſerit,
In copiâ tenellulæ prolis pari.

Obiit A. 1589. menſe Aprili die 23. An. ætatis 39.

Hic requieſcit reverend. & clariſs. Theologus Georgius Sohn. D. & in duabus inclytis ſcholis Marpurgenſi primum & poſtea Heidelbergenſi Theologiæ profeſſor.

Tanquam migraturus habita.

GERHARDO PASTORIO IVRISCONSVLTO, NATO COLONIÆ A. D. M. D. XXXIIII. DIE XVI. AVG. PRIMVM IVDICII AVLICI ELECTORVM PALAT. ADSESSORI, DEINDE IN SVMMVM EORVNDEM ALLECTO CONSILIVM: POST DVORVM ELECT. PROCANCELLARIO: TANDEM ETIAM CANCELLARIO, UXORUM TRIUM MARITO; QUARUM EX PRIMA JULIANA, D. CHRISTOPHORI PROBI CANCELLARII FILIA, SUSCEPIT FILIUM ET FILIAM: EX SECUNDA MARGARETA REGENSPERGERA FILIVM DVASQVE FILIAS: EX TERTIA MARGARETA BVRGCARDA FILIAS TRES; DEFVNCTO VITA HAC ÆRVMNOSA ET IN BEATAM TRANSLATO, ANNO DOMINI 1592. d. 19. NOVEMB. QVVM ANNOS ÆTATIS EXPLEVISSET 58. MENSES 3. d. 3. HOC MONVNENTVM VIDVA, LIBERI GENERIQ. MOERENTES POSVERE.

Beati mortui, qui in domino moriuntur: quoniam requieſcunt à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos. Apoc.14.verſ.13.

MEMORIÆ ET HONORI NOBILIS ET ERUDITI VIRI MELCHIORIS THEN, SALTZBURGENSIS, MARITI CARISSIMI OPTIMEQUE MERITI MARIA SALOME CUM LACRIMIS H. M. P. C.

Poſt varios caſus, hac Thennus Melchior urna
Depoſui tenues corporis exſuvias.
Me genuit Saltzburga, ſed hanc cur linquere vellem,
Cauſa fuit veræ religionis amor.
Privatâ hanc colui contentus ſorte: Volentem
Ex his me terris Chriſtus in aſtra tulit.
Multa meæ vidi vitæ per tempora, morte
Quæ mihi ſunt ipsâ viſa dolenda magis.
Debemur morti nos noſtraque, qui ſapis ergo
Dum vitæ frueris munere, diſce mori.

Deceſſit Heidelbergæ Eidibus
Auguſti. A. Ch. M. D. XCI.
ætatis 46.

Cretus ſanguine nobili Camenas,
Wamboltus coluit, Theminque diam
Bello & pace, Itala atque Galla tellus,
Novit, conſilio intimo & cubiclo
Palatina virum additum aula vidit;

At curſu in medio invidens honorum
Parca ſuſtulit. heu, perelegans flos
Tam citò occubet elegantis ævi!

Iohanni Theodorico Wambolto ab Vmſtadio V. nob. conſiliario Archipal. ill. Principis Ioh. Caſimiri Cubiculario & anteambuloni, Anno Chr. M. D. LVI. die 22. Septemb. weinhemI nato, die verò XVIII. Feb. A. CIↃ IↃ LXXXIX. Haidelbergæ vitâ functo, Philippus, Eberhardus, Wolufgangus, Suighardus & Iohannes Wamboltiab Vmſtadio fratres ſuperſtites fratri cariſſ^o^ poſuerunt.

D. O. S.

Fridrici hæc tegit urna VVidebrami
Doctoris pia membra, quem Nariſcis
Pesnicum genuit, Salæ Albidosq;
Lycéa excoluére, & audiére:
Id magnum Lyricâ magiſtrum in arte
Cunctis OEnotriæ æmulum poetis,
Hoc ſacræ quoq; præſulem cathedræ
Inſignem pietate: ſed profeſſum
Conſtanter meliora, trux Erinnys
Diſcordes quatiens faces ubique,
Incluſit Neopyrgicis cataſtis,
Excepit Decium exulem trienni
Fractum carcere: quinque vix & annis,
Cum luſtris tribus ac novem peractis,
Heidelberga benigniore fato

Gratis occuluit ſolutum arenis,
Sic manes Pietas polo beatos,
Jndiditáq; perenne nomen ævo.
At tu quisquis ades memor fugaces
Anni quàm volitent, vicesq́; noſtri
Quàm circum inſtabiles rotentur ævi:
Sic vivas pius, & mori memento.
Ac dum vivifico tubæ fragore
Surgant excita dic; cubent benignè hîc
Fridrici pia membra VVidebrami:

Eliſabetha VVidebr.
uxor marito cariſs.
pii deſiderii ergo,
P. C.

Anno Domini M. D.LXXXV. die 2. Maii reverendus & clariſs. Vir D. Fridericus Widebramus S.Theol.D. Eitelbergæ piè obiit nat. annos LII. mm.II.dd.II.

D. O. M. S.

MEMORIÆ,

Viri nobilis & ſtrenui præfecti milit. Dn. Georgii Eraſmi Schrôge'ii, qui ob egregiam juris ſcientiam, ſingularem rei militaris experientiam, multis principibus, inprimis elect. Palat. nec non ejuſdem olim tutori, qui ejus opera in expeditionib. & legationibus ad 22. annos uſi ſunt, gratus erat, rebus humanis ætat. 58. annor. exempti 4. Decemb. Ann. 1602. Soror, hæres & reliqui agnati hoc M. P.

AGNOSCE O VIATOR,

VITAM, TOT CASIBUS EXPOSITAM, MORTEM NUSQUAM NON OBVIAM, SIGISMUNDUS A SCOPP CAROLI A SCOPP IN GROSHEINTZENDORF ET HELENÆ STOSSCHIN IN GROSSCHIRNAW. F. EQUESTRI APUD SILESIOS LOCO NATUS, NEC MINUS NOBILI INDOLE PRÆDITUS ANIMI EXCOLENDI ERGO PEREGRINATIONE SUSCEPTA, GRATUM ILLUD NOBILITATI SILESIACÆ ET POLONICÆ HOSPITIUM HEIDELBERGAM VISENS, NIHIL EQUIDEM MINUS DUM VERETUR NOCTU IN PLATEA IACTU LAPIDIS QUI PROTERVA MANU FUGERAT CAPUT GRAVITER SAUCIUS QUANDO ITA VISUM VITÆ MORTISQ. ARBITRO, QUI HORAS NOSTRAS NUMERATAS HABET CREATORI ET SERVATORI SUO ANIMAM PLACIDE REDDIDIT XXVII. SEPTEMB. CIↃ. IↃCV.

CAROL. URANX.

Vitam Belgia, Uranx genus, Duacum
Artes Aonias dedêre: Leges
Heidelberga mihi dedit necemque.
Vitam reſtituit Deus perennem.

Anno 1580. den 5. Septembr. iſt in Gott ſeliglich entſchlaffen der Erbar vnd Wolgelerte Carolus Uranx von Anttorff / dem GOtt gnedig ſey.

SEPULTORUM SUSCITATORI
S.
HEIC IACENT RECONDITI
HENRICI PELI
PALAT. A SECRETIS
MARGARITÆQ. SCHLÖRIN
FILI DUO
AMBO PRIUS MORTUI, QUAM
SE MORTALES SCIVISSENT
JOANNES HENRICUS
IN LUCEM EDITUS. XV. KAL. JULI
CIƆ. IƆ. XXCIII.
TRIENNIO POST V. ID. JANUARI
REVOCATUS
JOANNES CASIMIRUS
ANNO CIƆ. IƆ. XXCVII.
ET VIVERE, ET MORI.
ILLUD VII. KAL. HOC III. EID. AUG.
BREVI SPACIO SIMUL DIDICIT
CHARA PIGNORA CÆLITUS
PRÆMISSA SUBSEQUUTURI
PARENTES
SOLATI. ERGO

P. P.

VVolfgan-

Wolfgangus tumulo cubat hic Ludovicus in iſto
Ortenbergerus cultor amansq́; Dei.
Qui ſibi Palladias decus immortale per artes
Quæſivit, vitæ quando ſuperſtes erat.
Et ſtudio, & Zelo ſacra magno biblia volvit,
Iuſtitiæ & juris perſtudioſus erat.
Doctrina enituit; dextro limataq́; Phœbo
Carmina pangebat, plectra canora movens.
Poſt varios vitæ caſus morbiq́; dolores,
Heu juvenis carnis mole ſolutus obit.
Ac animam Chriſto commendans omnipotenti
Ad cœlum recto tramite fecit iter.
Nunc ubi perpetuæ capit immortalia vitæ
Gaudia, clementem laudat, amatq́; Deum.

In recordationem dulciſſ. filij VVolfgangi Ludovici ab Ortenberg piè Heidelbergæ in caſtris Muſarum XII. Januar. An. 78. ætat. verò ſuæ 21. defuncti hoc monumentum clariſs. V. Dominus Ludovicus ab Ortenberg ſenior. J. U. Licentiatus & Prætor Cruçenacenſis digniſs. pietatis ergo poſuit.

Ich leb oder ſterb ſo ſein ich deß HERRN.

Rom. 14.

Diſce mori in Chriſto, mors hæc certiſſima vita eſt.

Ludovico Chriſtophoro Reinero U. J. D. celeberrimo, Thomæ liberalium artium M. & Academiæ huius profeſſoris filio, primum inclytæ Reip. Auguſtanæ, deinde Ulmenſis Syndico & advocato clariſs. ac conſultiſſimo: poſtremo domini Ludovici huius nominis octavi, Palatini Electoris conſiliario digniſſimo, qui annum ætatis egreſſus 54. die 15. Martii Anno 1584. in Chriſto placidiſſimè obdormivit, conjunx, liberique mœſtiſſimi poſuerunt.

Paulus ad Philipp. 3.

Noſtra converſatio in cœlis eſt, unde & ſalvatorem expectamus d. n. I. C. qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem virtutis ſuæ, qua etiam poteſt illi ſubiicere omnia.

Palatinide Petre vixti in aula,
Functus officio fideliterque
Strenueque, vetuſta nobilisq.
Sclammersdorſia gens honore per te
Crevit: Parca ubi ludicrum recidit
AEvi ſtamen, Olympiâ perennem
Vitam ducere amas JEHOVÆ *in aula,*
Cunctorum potiore principum aulis.
Quis terreſtria non polo remutet?

Nobili & pio viro Petro Schlammersdorff, in Hopfenoë, Ill. Princ. Ludovici Pal. VII. viri & Io. Caſimiri adminiſt. fratrum cubiculario, qui die XVII. Octobris An. M. D. LXXXVIII. Heidelbergæ obiit, Iohannes & Chriſtophorus à Schlammersdorf fratres ſuperſtites monument. poſuerunt.

Chriſtus propter nos pauper fuit cum dives eſſet, ut ipſius paupertate nos ditaremur.

Chriſtophori corpus capit hac ſub mole, quietem
Schlamsdorſi, cœlum Spiritus ipſe tenet.
Sex & vicenos clarum virtutibus annos
Ampla Palatini foverat aula ducis.
Peſtifero rapuit tandem inclementia mortis
Tempore, jam poſitum fratris ad exſuvias.
Mors infelici felicem præripit horæ
Chriſtophorum, vivos fata ſuprema manent.

Nobilitate, pietate, & prudentia præclaro Chriſtophoro à Schlammersdorf illuſtr. Principis Friderici IV. Palatini Electoris domus præfecto, qui obiit 14. Novembr. Anno Chriſti 1597.

Iohannes à Schlammersdorf frater ſenior ſuperſtes. F. C.

Sanct. Trin. Sacr.

Marcus zum Lamm Juriſconſultus & Electoralis Palatinatus Eccleſiis per plures annos à conſiliis obiit 13. Febr. Hora 12. Merid. Anno 1606.

Tertullianus:

Nihil noſtra refert in hoc ævo niſi de eo quàm celeriter excedere, & cum domino vivere.

Chriſtus mihi vita eſt & mors lucrum.
Philip. 1.

Joſephus Engelhart Eppingenſis V. J. D. obiit anno cIↄ. Iↄ XXCII. Febr. III.

Quo fierem doctor, ſponſus, collega ſenatus
Principis, & funus unicus annus erat.

Anno 1592. ætatis 58. am 4. Maij iſt im HERRN ſeliglich entſchlaffen / der Edel vnd Veſt Bernhard Condertz von Helpen/ Churfürſtlicher Pfaltz Rath/dem Gott gnedig ſey.

Sanguine me natum Condertzo Friſia fovit,
Expulit hinc veræ relligionis amor.
Sic pulſum Dilberga ſinu ſuſcepit amico,
Inde Palatinæ nobilis aula domus
Iudicio Caſimire tuo, nunc turbine mundi
Ereptum cæli regna beata tenent.

CHRISTO SOTERI. S. CATHARINÆ WIERÆ HENR. F. INSIGNIS EXEMPLI FEMINÆ CUM QUA LUSTRUM UNUM VIXIT IUCUNDISSIME ET ÆTATEM EXIGERE OPTASSET DUOBUS PIGNORIB. SUPERSTITIB. PRIMO PRÆMISSO A DEO DATORE RECEPTÆ IPSOQ. MANE VIVIFICÆ PASCHÆ ANNO CIↃ IↃ XCVIII. CUM VICTORE CHRISTO AD IMMORTALITATEM EVECTÆ MARQUARDUS FREHERUS M. F. DOMINÆ ET CONIUGI INCOMPARABILI ET NUNQUAM SATIS DESIDERANDÆ HONORIS ET AMORIS ERGO P.

Anno 1583. die 10. Octobris mortuus eſt nobiliſſimus Joachimus ab Alfeld, Benedicti domini in Haſeldorff, filius.

Nobilis Alfeldum mihi ſtirps & Cimbria vitæ
Auſpicium, Nicri ſed plaga buſta dedit.
Nec ducibus patriæ Muſisq́; quod obſequor ævi
Flore gravis valuit ſiſtere fata necis.

KUNE-

KUNEGUNDÆ CAROLOTTÆ DE LEEFDAEL CHRISTOPHORI EX LEEFDALIORUM ET MARIÆ EX SCONHOVIORUM NOBILISSIMIS ET ANTIQUISSIMIS IN DUCATU BRABANTIÆ FAMILIIS ORIUNDORUM, FILIÆ PIETATE IN DEUM, PROBITATE, MORUM, CANDORE AC COMMODITATE, CASTITATE RARA, MULTISQ. ALIIS INSIGNIBUS ANIMI ET CORPORIS DOTIBUS EXCELLENTI SUBITIS PARTUS DOLORIBUS OPPRESSÆ ET SUPERATÆ VOLRADUS A PLESSEN MARITUS CONIUGIS DESIDERATISS. IMMATURAM IN IPSO ÆTATIS FLORE MORTEM ET INEXPECTATAM SUAM VIDUITATEM LUGENS, ET IN ACERBISSIMO DOMESTICO HOC CASU SIMUL RERUM OMNIUM HUMANARUM INSTABILITATEM VITÆQUE INPRIMIS HUIUS FUGACITATEM ANIMO REPUTANS POSUIT.

NATA EST IN ARCE HAIDELBERGENSI DIE 8. APRIL. ANN. 1575. NUPSIT LORBACI 3. IULII ANN. 1595. MORTUA EST HAIDELBERGÆ 26. NOVEMBRIS ANN. 1606.

HAUD TIMET MORTEM QUI VITAM SPERAT.

Hamburgum patria eſt mihi celebre,
Conceſſi Witeberga in haſce terras,
Leges ut colerem & verenda jura.
Id mors invida non tuliſſe quivit.
Quare molliter hoc cubo ſepulcro,
Exſpectans dominũ videre Chriſtum.

Ioanni Berendes filio dilectiſſimo parentes ſummi amoris ergo F. C. obiit vero die 21. Auguſti Anno ſalutis noſtræ 1570.

POST. S.

Patriam, idola, terram deſerui peregrinantis Dominæ Comes, nacta ſum principem patremque piiſſimum, lucrifeci Chriſtum, teneo cœlum, fidelis miniſtra, DEI filia, æternæ felicitatis hæres; Cæciliæ de Crugnatæ Chamulaci Santonum gubernatrici ſuæ heroina Carola Borbonia fil. triſtiſſ. ducis Montiſpenſerii hoc mon. F. C. Vix. an. LX. commorata eſt Hædelbergæ biennium. Obiit menſ. Jan. die X. ſepulta eſt aulâ ſcholâque comitante A. C. 1574.

Hic Jacobe jaces Pomeranæ gentis alumne,
Lindſtediæ numerans nobilitatis avos.
Gripswaldum erudiit primæ lanuginis annos,
Poſt ſchola Teutonici gloria prima ſoli.
Leucoride egreſſum diſcendi fervidus ardor
Compulit ad gelidi culta Lycéa Nicri.
Hic placidè moreris ſexto pòſt menſe, peractis
Vix vitæ luſtris quatuor ante diem.
Nec tamen ante diem; nam ſtat ſua cuiq;, nec ullus
Hanc mutare queat, vel removere loco
Sit levis impoſitus lapis oßibus, & cinis ipſe
Fraternâ poſitum ſentiat eſſe manu.

Obiit nobilis & doctus juvenis Jacobus à Lindſtet 23. Decembr. A. 1587. ætatis a. 22.

Anno

ANNO DOMINI 1520. 16. AUG. Θ. INTEGERR. SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR JODOCUS BRECHTEL DE RORBACH ECCLESIÆ S. SPIRITUS CONCIONATOR, DEIN DECANUS, ULTIMO CIVITATIS HUIUS PLEBANUS VIGILANTISS. C. A. R. I. P.

Anno Domini 150 A. Decembris 28. Θ. magiſter Marcus Abel de waſſenbachhuſen, ſacræ theologiæ profeſſor hujus oppidi plebanus. cuius anima in pace req.

In Sacello Academiæ.

DANIELI TOSSANO PETRI FILIO MOMBELGARDENSI S. THEOLOGIÆ DOCTORI ET FIDELI CHRISTI SERVO VERITATISQUE COELESTIS EXPLICATORI ET PROFESSORI INDUSTRIO, ACRIQUE EIUSDEM PROPUGNATORI TUM AURELIÆ IN GALLIIS, TUM IN PALATINATU GERMANIÆ AD RHENUM PARTIM NEOSTADII PARTIM HEIDELBERGÆ PER ANNOS FERME QUADRAGINTA, VIRO PIETATE, STVDIO ORTHODOXÆ RELIGIONIS ELOQUENTIA, IUDICII DEXTERITATE, VITÆ INTEGRITATE, HUMANITATE, BENIGNITATE ERGA OMNES, INPRIMIS ERGA FIDEI CONSORTES PRÆCELLENTI, PIE ET SANCTE IN VERA DEI INVOCATIONE, ET CHRISTIANA FIDEI CONFESSIONE, POST FRUCTUOSE EXANTLATOS HONESTISSIMÆ FUNCTIONIS LABORES, MORTUO. IIII. IDUS JANUARII ANNO CHRISTI 1602. CUM VIXISSET ANN. SEXAGINTA, MENSES QUINQUE, DIES XXVI. FILII ET GENERI SUPERSTITES HOC MONVMENTVM PONENDVM CVRAVERVNT.

Epigramma Epitaphium.

Hic athleta jacet, non qualis in Elide quondam
Notus, vel Nemeâ notus in Arcadica:
Sed qualem genuit nobis celeberrima Tarſus
Eloquio clarum ſervitioq; DEI.
Qui ſimul in terris pulcros abſolvit agonas,
Pro vera expertus prælia multa fide,
Victor ovans cœli penetravit ad intima regna,
Tempore capturus ſerta repoſta ſuo.

Hoc ſaxum tegit oſſa Curionis,
Qui vir candidus, eruditione
Inſtructus varia, decus Lycei
Noſtri præcipuum, profeſſus artes
Eudoxi Podalyriique, multos
Felici docuit labore, donec
Extrema id fieri vetaret ætas
Poſt quintum decimum peracta luſtrum.
Æternùm benè ſit tibi Iacobe
Hos ipſos rediture mox in artus!
Nobis interea bonos tuique
Det multos ſimiles Deus, caterva
Quo nos exagitet minor malorum.

Obiit Anno domini M. D. LXXII. die 1. Julii.

CL. VIRO,

CASPARI AGRICOLÆ OPPENHEMIO PHILOSOPHIÆ ET JVRIS VTR. DOCTORI CELEBERR. LOGICES PRIMVM IN ACAD. HAIDELBERG. DEINDE INSTITVTIONVM IMP. POSTEA CANONVM PROFESSORI DILIGENTISS. CVIVS SVMMAM TVM DOCENDO TVM CONSVLENDO FIDEM VTILISSIMAMQ. OPERAM AMPLIVS ANNOS XLII. PRÆSTITAM RESP. LITERARIA, VT REAPSE EXPERTA EST ITA MIRIFICE COLLAVDAVIT, SENIQVE EMERITO HONOREM DIGNISS. SEMPER HABVIT, PIE IN DOMINO OBDORMIENTI IN SECESSV LADEBVRG. DIE IX. MAII VETER. A. CHRISTI M. D. XCVII. ÆTATIS LXXXIII. CONRADVS OLWERTVS BOXBERGENSIS GENER, ET BARBARA FILIA VNICA HEREDES POSVERVNT.

Ah ſtulta turba! mortem avara vos manu
Iam nunc tenentem procul abeſſe creditis?
Agnoſcite errorem vel ex fato meo.
Bartholdus Redlich patria Angrivarius
Hic iaceo juvenis corpore & animo vigens

Febri repente abſumtus, æſtu ut fervido
Flos aret, expers muniorum non fui,
Quæ vita fert humana, terno pignore
Factus parens ex Curionis filia:
Legesq́; tradidi in hac ſchola dum ſeptima
Rediiſſet æſtas, gratus auditoribus,
Fidus clienti: ubique honeſtatis tenax,
Studens docere ut ore ita quoque moribus.
Hac verò eram virtute priſca præditus,
Quod abſque ſtomacho & bile non poſſem pati
Profana, fœda, iniqua, ficta, ſubdola.
Valete vos, me hujus ſtatus non pœnitet.

Anno Domini M. D. LXXII. die ult. Iul.

Hebr. 13. verſ. 14.

Hic incerta mihi eſt, æternam quærito ſedem.

L. L. H. P. D. A. C. H. P. D.

MEMORIÆ ET HONORI ADELHEIDÆ CHRISTOPHORÆ HELMIÆ PITHOPOEÆ MATRONÆ LECTISSIMÆ, UXORIS SUAVISSIMÆ LAMBERTUS MARITUS, MATRIS CARISSIMÆ CHRISTOPHORUS, DANIEL, ET SARA, LIBERI CUM LACRYMIS H. M. P. C.

Hic mihi vicenos & ſex Adelheida per annos
Conjugii caſto fœdere juncta jaces.
Clara ſolum nobis patrium Daventria præbet.
Flevus ubi placidas in mare volvit aquas.
Caſtus amor primo junxit nos flore juventæ
Ætas cum noſtrum par utriusq́; fuit.
Notitiam cari primam fecére parentes,
Inde tui mores ingenuusq́; pudor.

Poſt

Poſt mecum patriæ rellictis ſedibus urbis,
Quærere ſinceræ relligionis amor
Externis alias ſedes tibi ſuaſit in oris
Panorios lenis quà Nicer ambit agros.
Bisq́; fere denos hic mecum & quattuor annos
Obſequiis vixti grata placensq́; tuis.
Non vaga, ſed patiens, hilaris, taciturna, modeſta,
Et gravis eſt placidè vita peracta tibi.
Prima fuit Chriſti, poſt hanc tibi prima mariti,
Hinc propriæ ſemper ſedula cura domus.
Sex gnatos & tres domini clementia gnatas
Larga dedit noſtro pignora cara toro;
De quibus hic nobis divino munere adhuc ſunt
Vnica cum gemino filia fratre ſuper.
Inde gravi mentem luctu percuſſa, duorum,
Quem tibi gnatorum mors ſimul atra tulit,
Et lento corpus morbo confecta tenellum
In cœlum placida morte ſoluta migras,
Commendans animam Chriſto, mihi pauca marito
Cætera, legitimi relliquiasq́; tori.
Sic ubi bis quinos & menſem circiter unum
Expleſſes, vitæ luſtraq́; dena tuæ
Cara tuæ fidei memor & conſtantis amoris
Te poſui lacrymans hoc Adelheida ſolo;
Expectans, dum me cœli tibi rurſus in arce
Iungat, & hinc miſerum Chriſtus in aſtra vocet.

Obiit Eitelbergæ 8. die Septemb. anno Chriſti 1586.

Alle hernach.

Conditur ſub hoc ſaxo corpus Adelheidæ Chriſtophoræ Helmiæ Pithopææ Daventrienſis, uxoris Lamberti, in Academia Eitelbergenſi Profeſſoris, quæ non obiit in patria, ſed abiit in patriam, d. 8. Septembr. Anno Chriſti M. D. LXXXVI. ætat. LI. Conjugii XXVI.

Hic

Hic incerta mihi eſt, æternam quærito ſedem.

DEO OPT. MAX. S.

Lambertus hic Ludolfus Helmius cubat.
Pithopæus, ortum cui dedit Daventria,
Cariſſimæ ad dextrum ſuæ Adelheidæ latus,
Bene notus hac profeſſor in Academia,
Latiæ & ſolutæ & metricæ eloquentiæ
Quinos per annos ſexies & amplius.
Qualis rogas porro? integer, gravis, pius.

Deceſſit anno Chriſti cIↃ IↃ XCVI.
IV. Kal. Feb. ætatis LXI.
MEMORIÆ ET HONORI IPSIUS,
Heredes
H. M. P. C.
Alle hernach.

DOCTISS. VIRO VALENTINO HERDERO J. V. L. ILLUSTRISS. P. ELECT. FRIDERICI III. C. PALATINI CONSILIARIO MORTUO A. 1574. d. 14. SEPT. POSITUM

Ergo Valentine heu poſt fratris fata Iohannis
Reſtabant juveni vix duo luſtra tibi,
Nempe fuit nimium, nec noſtræ ſortis haberet
Tales ut fratres quatuor una domus.
Iſte operam Muſis navans, decedit ad Albim,
Dum patriæ inſervis mors te inopina rapit.
Eſtis adhuc reliqui duo, Laurenti atq; Georgi
Herderi, ut per vos ſtet maneatq; genus.
Addatisq; decus generi, dum conſulit aulæ
Hic Pallatinæ; dum juvat ille ſcholam.
Pergite ſic, donec functum ſtatione beatis
Cognatisq; animis addat utrumq; DEUS.

WILHEL-

WILHELMUS XYLANDER AUGUSTANUS
ALLOQUITUR UXOREM.

Quò ſaxum ſtruis, ô nobis fidiſſima conjunx,
Quò mea defuncti verſibus oſſa notas?
Æterna ipſe mihi vivus monumenta paravi
Preveniens fati fila ſecanda mei.
Sed tua te (video) pietas non ficta fidesque
Exſtruere hoc nobis certa coëgit opus.
En quò progreditur, ſuperat mala tempora fati
Scilicet & verus funera neſcit amor.

Obiit X. Febr. A. M. D. LXXVI.
Anno ætatis XLIIII.

HIERONYMI HIC SUNT CONDITA OSSA ZANCHII
ITALI, EXULANTIS CHRISTI AMORE A PATRIA.
QUI THEOLOGUS QUANTUS FUERIT ET PHILOSOPHUS,
TESTANTUR HOC LIBRI EDITI AB EO PLURIMI,
TESTANTUR HOC, QUOS VOCE DOCUIT IN SCHOLIS:
QUIQUE AUDIERE EUM DOCENTEM ECCLESIAS.
NUNC ERGO QUAMVIS HINC MIGRARIT SPIRITU:
CLARO TAMEN NOBIS REMANSIT NOMINE.

Deceſſit A. M. D. X C. die 19. Novemb.

HIC QUIESCIT CORPUS CLARISS. ET DOCTISSIMI VIRI, DE ECCLESIA ET LITERIS PRÆCLARE' MERITI D. VICTORINI STRIGELII KAUFBEIRENSIS, PIE DEFUNCTI d. 26. IUNII, ANNO CHRISTI M. D. LXIX.

[*Poſtquam vixiſſet annos 44. menſ. 6. docuiſſet in præcipuis Germaniæ Academiis annos amplius viginti tres.*]

Pſal. 17. Ego in juſtitia videbo faciem tuam: ſatiabor, cùm evigilavero ad ſimilitudinem tuam.

H. W. R. W.

PROFESSOR MATHEMAT. ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS PIE IN CHRISTO SALVATORE OBIIT, ANNO SALUTIS M. D C. VII. ID. FEBRUARII. ÆTATIS SUÆ. LXXXI.

Quis hic cubem nihil tua
Noviſſe refert, ſcit Deus,
Curatque , tu quin hoc agis,
Teq; ad benè cubandum paras?

Hoc M. F. Ph. P. C.

MEMORIÆ ET HONORI M. LAURENTII HERDERI NUSLOCHENSIS PALATINI ACADEMIÆ HEIDELBERGENSIS SYNDICI, MARITI DESIDERATISS. ELISABETHA UXOR, PATRIS CARISSIMI IOANNES GEORGIUS ET LUDOVICUS FILII CUM LACRYMIS H. M. P. C.

Vitæ curriculo gravi & moleſto
Confecto pius & vir eruditus
Antiquaq fide integraq vita
Conſtans juſtitia & patronus æqui
Jam Laurentius hac quieſcit urna
Herderus, tria luſtra per duosq
Octonosq Academiæ vetuſtæ
Annos Panoriæ, diſertus atque
Prudens ſyndicus, omnibusq. carus
Piis ingenuis virisq doctis,
Germani huic etiam fuére fratres
Tres virtute pares, peritiaq.
Juris ingenioque perſpicaci
Sed florere diu viris tot unam.
Non ſivere domum ſevera fata
Johannes viridi occidit juventa
Ubi Leucoream ornat Albis urbem
Hunc qui poſt decimo eſt ſequutus anno
Valentinus in hoc cubat ſacello
Tuæ conſiliarius Palati
ne Elector Friderice tertie aulæ,
Herderam ſapientiæ fideque
Doctrinæq domum tuens & augens
Magnâ laude Georgius ſuperſtes
Adhuc eſt celebri fidelis urbe
Amberga in Bavarûm ſolo feraci
Quarti principis inclyti Fridrici
Electoria nunc gerentis arma
Cancellarius, hoc ſuos & ipſe
Promptus corde ſequi lubente fratres
Cum vitæ Deus arbiterque mortis
Ipſum juſſerit hinc abire terris
Cœli perpetuam & beatam in aulam
Hæc Laurentius hoc jacens ſepulcro
Scire te voluit viator. Ergo
Maturé monitus mori memento
Tu quoque: omnibus hæc via eſt terenda.

Deceſſit Heidelb. IV. Idus ſextileis.
Anno Chriſti. CIↃ IↃ XCII. ætatis ſuæ LIIX.

Anno

Anno domini 1494. in die purificationis Mariæ Θ. venerabilis magiſter Nicolaus Kirchenſtein de Bürckheim, cuius anima.

Stephanus Hœſt. theolog. Licentiatus obiit Anno M. CCCC. LXVII.

Ex Altdorf jacet hoc Albertus Kobler humatus
In tumulo myſtes nomine reg. pius.
E vita Viti ſubductus luce beati,
Ad ſuperos rurſus non moriturus iit.

Anno M. D. XXVI.

Extra Chorum.

CAROLO ZIGLER JC. LUD. F. UNIVERSA ITALIA BIENNIO PERAGRATA, GALLIAM QUAM BELLIS INTESTINIS ÆSTUANTEM DESERUERAT, REPETENTI ET VALENTIÆ ALLOBROGUM FEBRI CORREPTO, MORBOQUE IN DIES INGRAVESCENTE, BREVI POSTQUAM SUIS REDDITUS EST IPSO IN FLORE ÆTATIS ET COMPLEXU SUORUM PRÆMATURA MORTE REBUS HUMANIS EXEMTO, ATQUE HIC IN SPE RESURRECTIONIS QUIESCENTI, FRATRI DULCISS. DESIDERATISSIMOQ. FRATRES SORORESQ. SUPERSTITES M. H. F. C.

Θ. IDIB. OCTOB. ANNO M. D. LXXI.

VIXIT ANN. XXV. MENS. XI. D. XI. HOR. XXI.

Hiç ubi
Joannes Culmannus Reipubl. quondam Haidelb. cos. B. M. proavus,
Ubi
Joannes avus, & pater Adamus Culmanni, Principibus Electoribus Palatinis alter à ſecretis, à rationibus & conſiliis alter
communi ſepulcro adquieſcit,
LUDOVICUS CULMANNUS
Ictus,
IV. Electorum Principumque Palat.
Per XXXVI. annos conſiliarius aut Procançellarius fidiſſ.
Qui
Vixit annis LXI. M. II. D. XXII. H. XX.
Obiit Ann. cIↃ. IↃc. VI. XIX. Janu.
Publico bonorum omnium mœrore,
Et pietatis, innocentiæ, eruditionis atque eloquii fama bona, & perenni.

ANNO DOMINI M.CCCC.XCVI DIE SANCTI BERNHARDI XX. AVGVSTI OBIIT VENERABILIS VIR MAGISTER MARSILIVS DE INGHEN SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR EXIMIVS . . . . . . , .

MEMO-
RIÆ

JAC. KIMEDONCII KEMPII RARÆ
DOCTRINÆ, RARIORIS VITÆ, RA-
RISSIMI EXEMPLI THEOLOGI,
PROFESSORIS |CONSILIARII
LIBB. SUPERST. MOER.
POSS.

OBIIT HEIDELB. XXVI. NOVEMB. M. D.
XCVI. INTRA ANNUM ÆTA. XLII. ORBA-
TUS PAULO ANTE CONTRA VOTUM SUI
NOMINIS FILIO ANNOR. QUASI XVII.

SED HEV SVPRA ÆTATEM SVPRA FI-
DEM. SVPRA SECVLVM
PIO, MODESTO, ERVDITO
PLANE QVASI VTERQ. FIRMARET
DICTVM ILLVD VETVS.
QVEM DEVS DILIGIT
MORITVR IVVENIS

A FACIE MALITIÆ
COLLECTVS
EST IVSTVS.

Anno 1588. die 23. Auguſti pie obiit & ſepultus hic eſt Sethus Eimerus Friſius VVurdanus, tum, cùm ab ampliſſ. J. C. ordine huius Academiæ Doctoralia inſignia in Utroque Jure ei decreta eſſent.

Generis ſplendore & virtute conſpicuus juvenis Gerhardus Hacke Neoburgenſis Iuſti piæ memoriæ filius Ioannis, per multos quondam annos illuſtrium ac generoſorum Comitum ab Hoyâ cancellarii, nepos virtutis amore ac ſtudio in hiſce Germaniæ oris peregrinans, coætaneos ſuo docuit exemplo poſt hanc vitam cœleſtem adire patriam, cujus memoriæ mater cum fratribus ſuperſtes monumentum hoc poſuerunt

Obiit 25. Septemb. A. 1599.

CHRISTUS SALUS MEA.

PIO, NOBILI, ET DOCTO IVVENI M. BALTHASARI MOSERO IVRIS STVDIOSO PATRE IOANN. MOSERO V. I. D. CONSILIARIO WIRTEMBERGICO ET MATRE ANNA M. CASPARIS WILDII IVRICONSVLTI TRIVM DVCVM WIRTENBERGENS. CONSILIARII ET ANNÆ MOECHLIN FILIA PRID. ID. IVNII A. M. D. LXXIII. TVBINGÆ NATO ET ID. SEPT. ANNO M. D. VIC. HEIDELBERGÆ PIE DEFVNCTO MONVMENTVM HOC DVO IPSIVS AFFINES IOAN. ADAM MORDER IMPERIAL. CAMERÆ ASSESSOR, EIVSDEMQVE ADVOCATVS, IOAN KALT V. I. DOCTORES AMORIS ERGO POSVERVNT.

CHRISTO SERVATORI
GENERIS HUMANI UNICO.

JOANNI NERVIO JURISCONS. PATRE JOANNE NERVIO JURISCONS. JUDICII CAMER. IMPERIAL. ASSESORE DIE XI. MENS. OCTOBR. ANNO M, D. LXIII. SPIRÆ NEMETUM NATO. (QUI CUM IN GERMANIA, GALLIA ET ITALIA, BONIS LITERIS ET IURISPRUDENTIÆ FELICITER OPERAM DEDISSET, ET IN WESTPHALIAM CUM PATRE PROFECTUS REDITURUS ARGENTINAM FIRMA FIDUCIA ÆTERNÆ SALUTIS IN MERITO IESU CHRISTI REPOSITA DIE XV. MENS. OCTOB. ANNO M. D. LXXXIX. DYSPNOEA MORTUUS EST) INVERSO ORDINE FILIO CARISS. PARENS HEU MOESTISS. POSUIT.

Vixit annos XXVI. dies IV. horas III.

Anno Domini 1535. 2. Novembris Θ. Honorabilis vir Dominus Petrus Engelhart Capellanus & altariſta altaris S. Nicolai, cuius anima requieſcat in pace.

Ἐμοὶ τὸ ζῆν, Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος.

QVem procul antiquâ generis virtute nitentem
    Axe ſub Arctoo Sarmatis ora tulit,
Stanislaus ego moriens Bojanovius urbe
    Corpus in hac linquo: ſpiritus aſtra petit.
Terra vale; ſatis eſt, vixi, in ſtadioq; cucurri:
    Nunc mihi confecto eſt parta labore quies.
Noſcere cura fuit Chriſtum, & coluiſſe parentes:
    Pieridumq; chori fidus amator eram.
Inq́; hoc dum magnæ themidos ſacra jura Lycéo
    Aure bibo: mortis falce ruente cado,
Omnia debentur morti; ſed vincere mortem
    Qui cupit, huic Chriſtus ſit via, vita, ſalus.

Daniel Micolajevius Polonus
deſideratiſſ. populari &
amico mœrens parentabat.

Hic condita ſunt oſſa Stanislai Bojanovii
nob. Pol. deceſſit Heidelb. 28. Januarii. Anno
1588. ætat. 21.

Ieſaiæ XXVI.

Reviviſcent mortui tui popule mi, Vade ingredere cubicula & abſconde te ad momentum, donec tranſeat indignatio.

MEMORIÆ ET HONORI MELCHIORIS ANGERI CERVIMONT. SILES. V. REVEREND. PIETATE DOCTR. VIRTUT. PRÆST. VERBI DEI PRÆCONIS IN DIVERSIS ECCLESIIS PALAT. TANDEM ET AULÆ ELECT. SUB ILLUSTRISS. P. P. IOANN. CASIMIR. ET FRIDERICO IV. CONSIL. VISITAT. ECCLESIASTICI FIDEI VERÆ CONSTANT. ADSERTORIS INNOCENT. VITÆ BONIS DILECTIS. DE REPUB. OPT. MER. BARBARA IOHANNIS WEISENBERGERI REIPUB. HEIDEL. SYNDICI F. VIDUA MOESTIS. MARITO CARISS. QUA CUM IN CONIUGIO XXXVI. ANNOS EGIT. VII. LIBERUM MATER GRATITUD. ERGO. P. C. NATUS ANNO M. D. XLVI. XXII. MAII. OBIIT AN. M. D. C. VII. XX. MARTII.

Beati qui in domino moriuntur.

MEMORIÆ.

Johannis Melmanni domini Georgii Melmanni viri magnifici & Dantiſcanæ Reipub. ſenatoris ampliß. filii, qui cum ab extremo Germaniæ ſeptentrione ſtudior. cauſa in hanc Acad. veniſſet, jamq́ue veſtigia paternæ ac avitæ virtutis pleno gradu inſequeretur, ipſi florentißimos annos, amicis ſummā expectationem, Reip. ſperatos fructus mors immatura præcidit,

Vixit an. XXII. Obiit anno M. DC. VIII. d. XIX. Octob.

MONU-

MONUMENTUM CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI DOMINI WENDELINI HEILMANNI DE REICHERTSHAUSEN I. U. D. ET PROFESSORIS IN INCLYTA HEIDELBERGENSI ACADEMIA ORDINARII, QUI EXANTLATIS IAM MULTIS IN IURE LABORIBUS ET EXACTO IAM LXIV. ÆTATIS ANNO PIE PLACIDEQUE IN CHRISTO OBDORMIVIT ANNO SALUTIFERI PARTUS M. D. LXI. MAII DIE XII.

ANNO DOMINI M. D. L V. JULII DIE XVIII. HONESTA FEMINA ANNA WIDENBEUERIN DE WEINSBERG UXOR DOMINI WENDELINI HEILMANNI IURIS UTRIUSQ. DOCTORIS COMPLETO IAM L. ÆTATIS SUÆ ANNO PIE IN CHRISTO VITAM FINIVIT UNA CUM OMNIBUS FIDELIBUS CHRISTI ADVENTUM CUPIDISSIME EXPECTANS.

Quem non ambitio impotens, quem non turpis habendi amor, non fallax ſimulatio à recti abripuit via, à Chriſto capit hic ſuæ virtutis modo præmium.

Pietate, eruditione, nec non variarum rerum experientia præſtanti viro Nicolao Lorbechero Confluentino, qui ad triginta quinq; annos honeſtis fungendo muneribus Electorali Palatinatui fidelem operam navavit, hoc monumentum conſecraverunt ſui. Deceſſit anno 1586. 5. Octobr.

Honeſta & pia matrona Margretha Ganſin, uxor relicta Nico. Lorbecheri Eberbaci (ubi in templo extra urbem ſito ſepulta eſt) obiit 1. Februar. Anno 1600. M. Lenhardus Heb. Cubanus prædictorum conjugum gener Cameræ Elect. Palat. Regiſtrator, qui & ante aliquot officiis apud Academiam prȩfuit, dyſenteria ſuperatus. 5. Iulii hora 5. matutina placidè in Chriſto obiit Anno 1599.

Nemo ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.

HONESTISS. FOEMINÆ ANNÆ HONOLDINÆ OLIM IOANNI WOLFARDO PRIMUM POST VALENTINO GIENGERO CIVIB. MEMMINGENSIB. NUPTÆ, ET E MEMMINGA AD NUPTIAS FILIÆ PERAGENDAS HUC PROFECTÆ MORBOQ. HIC CORREPTÆ: ET EX EO PAULO POST ANNO DOMINI 1567. VII. CAL. FEBR. PIE DEFUNCTÆ UXORI ET MATRI CHARISS. MARITUS ET LIBERI SUPERSTITES AMORIS SUI MONUMENTUM HOC POSUERUNT.

Hac ſua Zacharias Hulber pietate verendus
In domino moriens membra locavit humo.
Ingenio præſtans, Sophiæq; magiſter, & urbis
Hujus erat parochus relligione gravis.
Plurima ſuſtinuit pro Chriſti nomine, primo
Dum ſonat excelſi juſſa tremenda DEI.
Sed tandem gratam fatorum nomine ſedem
Invénit, cujus ſpiritus aſtra colit.

Obiit XVII. die Aprilis Anno M. D. LVIII.

Anno domini M. CCCC. LX. XXV. die Julii Θ. venerabilis Johannes Prinesz de Thorn ſecretarius domini Palatini, cuius anima requieſcat in pace.

Hoc tumulo ſepulta jacet matrona pientiſsima Catharina Rinck, Petri Heimanni JC. uxor incomparabilis, maritum fideliſsimum in æterno ſeculo, relicto unico amoris pignore, expectans. obiit A. 1592. 21. Junii.

In Cœmiterio Petrino.

Patria & domus optima cœlum.

JOANNIS SIGIS. MEIDELINI LAVINGANI. J. V. D. PATRONI CAUSARUM IN IUDICIO IMPERIAL. ET PALATINI ELECTORIS GRAVISSIMI POST IUSTA MARGARETHÆ HERMANNÆ CARISS. CONIUGI SPIRÆ D. 12. MARTII. AN. 1592. PIE MORTUÆ IBIDEM PERSOLUTA, ET COEPTAM DOMUS ÆDIFICAT. ET ANIMAM A CHRISTO DIE 12. MAII ANNI 1594. EX HAC VITA IN ILLAM ALTERAM TRANSLATAM CORPUS HIC DUM CUM ILLA RURSUS IN SECUNDO CHRISTI ADVENTU COPULETUR HUMATUM EST.

Illuc reſpiciendum.

JOHANNES POSTHIUS
FUERAM
NATUS
GERMERSHEMII
ANNO DOMINI
MDXXXVII.
DIE XV. OCTOB.
DENATUS
ANNO DOMINI
MDLXXXXVII.
DIE XXIV. JUNII.

EPI-

EPITAPHIUM LECTISSIMÆ FEMINÆ MARIÆ COVETÆ PARISIENSI CONIUGI D. DANIELIS TOSSANI POSITUM A FAMILIA CUM LACRIMIS.

Si virtus diræ poſſet fera ſpicula mortis
Effugere & mœſtas funeris exequias:
Muſica ſi dulcis, morum ſi mira venuſtas,
Et pietas caſtæ juncta pudicitiæ:
Non hoc tu mater tumulo confecta jaceres
Conjuge deſerto pignoribusq́; tuis.
Sed qui in te vitæ morumq; exemplar habebant,
Exemplar ſanctæ nunc quoq; mortis habent.

Obiit in Chriſto 28. Martii
M. D. LXXXVII. anno XLIII.
ætat. vixit cum marito XXII. annis.

Obiit an. 1559. d. 20. Febr. Nicolaus Druchlabius Oppenheimenſis Philoſophiæ. M. cui mater ſororesque ſuperſtites. H. M. F. C.

Umbra loquitur.

Ingenii dederat mihi ſat natura, ſed ultra
Quartum me luſtrum noluit illa frui.
Cum veluti media flos ſuffocatus in herba
Druchlabiæ cecidi flenda ruina domus.
O humiles animæ de me vos diſcite, quàm ſit
Hæc hominis fallax & breve vita bonum.

VVendelinus Regenſperger Mannebachenſis natus A.d.1530.d.26.Martii adoleſcens in cancellar.ſub Frid.II.Elect.receptus,hinc ab Oth Hen.fiſci rationibus adhibitus factusque ſecretarius,& poſt volente Frid.III.protonotarius,quod munus ēt ſub Lud.IV.continuavit,rude demum à Jo. Caſ.adminiſt.donatus eſt. Uxorum prima Barbara Harera peperit ei Margaritam D.Gerh.Paſtorio & Catharinam D.Frid.Burcardo nuptam:ex ſecunda genuit filiam unam,tertia Margaretha Sigelin relicta ei eſt ſine ſobole vidua,decedenti pie A.domini 1593. d.19.Mart.ætatem habenti annorum 62.m.2.d.21.

Cui vidua &. H. M. P.

Symbolum eius.

Fedus tuum anchora & arx noſtra Jehova.

CATHARINÆ DE LA LICORNÆ CARISSIMÆ CONIVGI IACOBVS DE BILLY PARISIENSIS MŒRENS POSUIT.

Penelopéa fides, pietas & relligioſa,
Inque pios omnes officioſus amor;
Si poſſent mortis fatale avertere telum:
Debueras nunquam tu Catharina mori.

Pie in Domino obdormivit Anno domini 1596. d.20. Aprilis ætatis ſuæ LXXII.

DEO Trino & uni ſacrum.

EPITAPHIUM JOHANNIS RANZOVII HENRICI FILII HEIDELBERGÆ SEPULTI.

Defunctus loquitur:

Siſte gradum quisquis tranſis hac ſorte viator;
Vt diſcas mortis triſtia fata meæ.

EGO JOANNES RANZOVIUS, INFELIX PUER, HENRICI RANZOVII, REGIS DANIÆ TAM IN DUCATU HOLSATIÆ ET SLESWICENSI, QUAM DIETMARIENSI GUBERNATORIS, FILIUS, IN HANC URBEM LITERARUM GRATIA CUM DUCIBUS HOLSATIÆ D. FRIDERICO ET PHILIPPO MISSUS, PESTE CORREPTUS A DEO EX HAC MORTALI VITA AD PERPETUAM IMMORTALITATEM EVOCATUS, IN PATRIAM COELESTEM TRANSLATUS, ET A PARENTE TRISTISSIMO HOC MONUMENTO DONATUS RESURRECTIONEM MORTUORUM ET REPARATIONEM OMNIUM RERUM EXSPECTO.

Hic ego Ranzoâ prognatus ſtirpe Joannes
Mortuus humanâ conditione cubo.
Cymbria me genuit, ſed non poſt fata recepit,
Sicq́; peregrinâ ſum tumulatus humo.
Hanc me pertraxit ſtudiorum fervor ad urbem,
Principibusq́; comes nobilibusq́; fui.
His licuit cunctis ad patria rura reverti,
Verùm me reducem noluit eſſe DEVS.
Sed benè, mens etenim cœleſti ſede recepta
Viſitat æternæ docta Lycéa ſcholæ.
Corpus humus tegit exanimum, dum ſuſcitet illud
Extremi Chriſtus tempore judicii.

Verè nobilis hic cubat Joannes,
Ranzoâ genitus domo; paternæ
Qui veſtigia ſemper, ac avita,
Virtutum ſtudio pio eſt ſecutus.

JOANNES RANZOVIUS { natus Segebergæ / obiit Heidelbergæ } Anno { M. D. LXVI. / M. D. LXXXII. } die { XIIII. Febr. / XVII. Octobr. }

RESURRECTIONI S.
MARIÆ AGRICOLÆ
NAUMBURGENSI
INTER MULIERES SUA ÆTATE
VIRTUTIB. NULLI SECUNDÆ
ARTIB. CONSENSU OMNIUM
PRIMARIÆ,
QUÆ ANIMAM QUOQ. AGENS
SCIENTIA DIVINA FIDUCIAQ.
SUMMIS THEOLOGIS
MOESTISSIMO MARITO
CUNCTIS ASSISTENTIBUS
ADMIRATIONI SOLATIOQ.
SUMMO FUIT
THEODORUS
SIMMELBECCERUS
PALAT. MEDICUS
CONIUGI DESIDERATISS.
ANNO SAL. HUM. M. D. XXCIIX.
III. ID. SEPT. ÆTAT. XXXVIII.
CONIUGI IV.
PRÆMISSÆ
EXOPTANS BEATE SUBSEQUI
HOCCE M. P.

D. O. M. S.

JOHANNI STUCKIO
TIGURINO
GENERE ET INGENIO NOBILISS.
ADOLESCENTI, QUEM
EX ITALIA HEIDELBERGAM
PROFECTUM
SUMMUS RECTOR
AD d. XIX. AUG. HOR. VII. VESPERT.
IN COELESTEM PATRIAM
EVOCAVIT.
JOH. GULIELMUS STUC
KIUS PATER IN SPEM RESUR. BEAT.
H. M. P. P.
ANNO DOMINI
cIↄ Iↄ Ic.

SI SPES NULLA FORET, PHILIPPE, VITÆ ÆTERNÆ, ANTE DIEM CITO OCCIDISSES HANMULLERE, PARENTIBUS DOLENDUS.

Obiit Anno M. D. XLV. Januar. 4.

MARGARITA SCHLÖRIN HENRICI PELEN PALATINI SECRETARII CONIUNX IN LUCEM EDITA FUIT 17. DIE AUGUSTI ANNO SAL. HUM. 1560. OBIIT 1600. 2. DIE IUNII, QUA EADEM 1579. NUPTIARUM LÆTICIAS PUBLICE CELEBRARAT. VIXIT ÆTAT. ANN. 39. MENS. 9. DIES. 18. CONIUGII 21. EX MARITO SUSCEPIT 9. LIBEROS RELICTIS POST SE SOLUM. 4. SUPERSTITIBUS: HUIUS OSSA HEIC IACENT RECONDITA CUM FILIÆ ANNÆ MARIÆ ET HENRICI FILII QUEM PRÆMISIT 16. DECEMBR. 1599. TERTIO EX QUO NATUS FUIT DIE: ILLAM VERO XI. DECEMBR. 1593. ÆTAT. 2. ANNO. 8. MENS. D. 2.

Maritus viduus mœſtus parens
Conjugi liberisq; cariſſ.
H. M. P.

Jlla Placentinum clauſerunt ſaxa Philippum,
Mœſta Triburgenſis quem gemit ora ſoli.
Ante diem ſævi rapuerunt luminis hoſtes
Heu perit hydropis corpore merſus aquis.

Θ. *A. 1543. menſ. Maii. d. 2.*

DEO IMM. S.

